DE
LIBELLI ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ AUCTORE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS RITE
IMPETRANDOS

SCRIPSIT

B. COBLENTZ
MAURIMONASTERIENSIS.

ARGENTORATI
J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MÜNDEL SOCII).
MDCCCLXXXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41547619_0073

PARENTIBUS CARISSIMIS

D.

Hodie non iam licet dubitare, quin auctor libri π. ὕψους non ille fuerit Cassius Longinus philosophus et rhetor tertii p. Chr. saeculi;[1] atque cum inter omnes viros doctos constet, hunc de subblimitate commentarium intra fines primi p. Chr. saeculi esse compositum, hucusque nullum in modum accuratius tempus huius libelli definiri atque angustioribus finibus circumscribi potuit: ita de aetate Tiberii,[2] Caligulae,[3] Neronis,[4] Vespasiani[5] vel Domitiani[6] cogitatum est. Pauca enim indicia, quae insunt in ipso libello, non multum valent ad aetatem accuratius definiendam; itaque dubitari licet, numquid omnino haec quaestio ad liquidum perduci possit. Certiora quidem de aetate sciremus, si indagatum esset, quis fuisset ille Postumius Terentianus, ad quem libellus scriptus est.[7]

---

[1] Post Roeperum (philolog. I, p. 620) dilucide id comprobavit G. Buchenau, de scriptore libri π. ὕψους. Marburg 1849.

[2] Martens, de libello π. ὕψσους. Bonnae 1877.

[3] Jac. Bernays, Herennius Metaphysik u. Longinos, cfr. Monatsber. d. Akad. d. Wissensch. Berol. 1876 (= op. 347 sqq.).

[4] Winkler, de Longini qui fertur libello π. ὕψους. Halis 1870.

[5] Buchenau l. c.

[6] Th. Bergk, cfr. Ersch. Gruber. Encyklop. vol. 81, p. 447.

[7] Aug. Reifferscheid, ind. schol. in univ. litter. Vratisl. per hiemem 1879-80.

Totus libellus in recensendo vel potius in impugnando Caecilii commentario versatur ita tamen, ut ille maximam partem ex Calactini rhetoris libello fluxisse videatur; itaque auctorem π. ὕψους non statim post Caecilii aetatem de sublimitate scripsisse veri est simile; cum autem illa π. ὕψους disputatio eo tantum tempore alicuius momenti esse potuerit, quo haec studia imprimis vigebant et quo etiam Caecilii commentarius aliqua quidem ex parte notus erat, puto librum π. ὕψους initio alterius primi p. Chr. saeculi partis esse compositum.

Sed de aetate haec hactenus.

Nam prorsus aliam quaestionem tractandam mihi proposui: id enim potissimum agam, ut naturam indolemque scriptoris π. ὕψους explanem atque accuratius exponam, quae ratio inter Ps. Longinum et Caecilium Calactinum intercedat.

Valde enim erravisse mihi videntur permulti viri docti qui de auctore huius de sublimitate commentarii iudicium fecerunt. Fere omnes autem exposuerunt scriptorem π. ὕψ. esse virum acumine ingenii maxime insignem, maxima in rebus diiudicandis subtilitate divinaque paene sapientia praeditum summaque eruditione instructum.

Qui ita de Ps. Longino iudicarunt, sine dubio ad hanc perducti sunt sententiam elato huius viri ingenio ac paene iuvenilis animi ardore atque singulari summorum virorum admiratione. Sed falsum esse hoc de Ps. Longino iudicium atque «ultra modum π. ὕψ. auctorem per haec tria saecula a philosophis rhetoribus grammaticis laudatum esse»[1] aper-

[1] U. v. Wilamowitz-Moellendorff, in Hermae vol. X, p. 334.

tum est. Atque rectissime iam Fr. Aug. Wolff[1] ita de scriptore π. ὕψ. iudicaverat: «περὶ ὕψους *enthält wenig accurate logische Bestimmungen der Begriffe, desto mehr Pomp und Exclamationen, mehr Anstaunen als Untersuchung der Gründe der Schönheit* ....»

Inprimis Buchenau atque Winkler hunc scriptorem summis efferunt laudibus, nullum in modum de ratione agentes, quae intercedat inter auctorem π. ὕψ. atque Caecilium, quamquam perspicium est hanc questionem, quomodo ille egerit, utrum ab aliis de eadem re disputantibus pendeat necne, summi esse momenti. Quam quaestionem primus vir doctissimus Casimirus a Morawski[2] aggressus est; hic enim magna cum probabilitate demonstravit Ps. Longinum praecipue in disputatione de figuris multa a Caecilio mutuatum esse. Post Morawskium inprimis Wilamowitzius[3] hanc pressit sententiam scriptorem π. ὕψ. compilatoris more sua ex Caecilio deprompsisse omnia: «qui de sublimitate disputavit homo neque philosophus neque grammaticus neque rhetor, sed πολιτικός et Romae, ubi circa Claudiorum Caesarum tempora vixit, nobilium virorum consuetudine usus, ut hac quidem in re cum Plutarcho, a cuius tamen miti sapientia θυμοειδές et διάπυρον eius ingenium multum differt, apte possit comparari, hic igitur scriptor per haec tria saecula a philosophis rhetoribus grammaticis ultra modum laudatur.»

Cum his verbis viri doctissimi in eo minime consentire possum, quod Ps. Longinum πολιτικόν vocat.

---

[1] Vorlesungen über die Gesch. d. Griech. Litter. II, p. 382.

[2] Quaestiones Quintilianeae. Berol. 1874.

[3] In libellum π. ὕψους coniectanea, cfr. Herm. X, p. 334 sqq.

Itaque iam Martensius (l. c. p. 25 adn.) hanc sententiam refuture conatus est: «attamen non recte Wilamowitzius statuisse videtur neque philosophum fuisse scriptorem π. ὕψ. neque grammaticum sed πολιτικόν. Nam quominus πολιτικόν eum dicamus, vetamur verbis ad amicum in rebus publicis versantem datis.» Neque intellegi potest, qua de causa Wilamowitzius πολιτικόν dixerit hunc scriptorem; nusquam enim Ps. Longinus sese ita appellat, sed Terentianum πολιτικόν esse affirmat, neque liquet, quid Wilamowitzius hoc nomine exprimere voluerit. Sane est rhetor sed minime, ut Martensius voluit, «Dionysiorum et Caeciliorum ritu»: longe enim Ps. Longinus discedit ab his artis rhetoricae doctoribus, qui id potissimum agebant, ut puram sanamque Atticam dictionem contra Asianorum rationem corroborarent confirmarentque. Plane vero convenit mihi cum Wilamowitzio, cum (l. c. p. 338) dicit: «ceterum scitu non indignum est vel hunc scriptorem indulsisse impudentissimo conpilandi mori, qui sensim in saecula gliscens totam antiquitatis corrupuit memoriam.» Martensius quidem Ps. Longinum, ut iam vidimus, Caecilio et Dionysio aequare videtur, quamquam concedit (l. c. p. 5) «multa prioris libelli reconditiora subesse vestigia.» Etiam Herselius[1] existimat in libello π. ὕψ. permulta ascripta esse Caeciliana exempla. Hi igitur, quos nominavi, viri docti in eo quidem consentiunt, Ps. Longinum multa a Caecilio mutuatum esse. Sed vir doctissimus Franciscus Striller[2] minime respexisse videtur rationem, quae inter istum et Caecilium inter-

---

[1] Qua in citandis scriptorum et poetarum locis auctor libelli περὶ ὕψους usus sit ratione. Berol. 1884.

[2] De Stoicorum studiis rhetoricis, cfr. Breslauer philolog. Abhandlge. I, h. 2, 1886.

cedit; nam semper sic de illo iudicat, quasi nullomodo a Caecilio pendeat atque nonnullis in libro π. ὕψ. inventis cum Stoicorum praeceptis congruentibus non dubitat contendere, constare Ps. Longinum Stoicam professum esse philosophiam (l. c. p. 36 adn.).

Postquam igitur exposuimus, quid maximam partem viri docti de auctore libelli π. ὕψ. iudicaverint,[1] nunc opus est, ut ad rem ipsam, quam tractandam mihi proposui, aggrediar. Atque ita hanc de libelli π. ὕψ. auctore quaestionem instituam, ut primum quidem accuratius disputem de terminis rhetoricis in libro de subblimitate proprie usurpatis, deinde ut demonstrem, quae ratio inter Ps. Longinum et Caecilium Calactinum intercedat. Itaque prius pauca quidem de hoc rhetore praemittenda sunt.

Non multa nobis nota sunt de Caecilio[2] atque ex multis eius operibus, quorum nullum aetas nostra tulit, pauca tantum fragmenta nobis supersunt. Quando ille natus quandoque mortuus sit, nescimus; id solum constat Augusto imperatore eum una cum Dionysio Halicarnassensi Romae rhetoricam docuisse.

Suidas quidem haec tradit: «ῥήτωρσοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ

---

1 Th. Mommsen, histor. Roman. V, p. 487: «*Die Abhandlung vom Erhabenen, geschrieben in der ersten Kaiserzeit von einem unbekannten Verfasser, eine der feinsten uns aus dem Alterthum erhaltenen ästhetischen Arbeiten, rührt sicher wenn nicht von einem Juden, so doch von einem Manne her, der Homer und Moses gleichmässig verehrte.*»

2 Theoph. Burckhardt, Caecilii rhetoris fragmenta collegit, disposuit, commentatus est. Basileae 1863. — Fr. Blass, Gesch. d. Griech. Bereds. von Alexander bis Augustus. Berol. 1865. cfr. p. 168 sqq. — Morawski, de Dionysii et Caecilii studiis rhetoricis, cfr. Rh. Mus. XXXIV, p. 370 sqq.

ἐπὶ σεβαστοῦ Καίσαρος[1] ἀπὸ δούλων — ὥς τινες[2] φασίν — Ἰουδαῖος τὴν δόξαν» — non enim est, cur negemus Judaeum illum fuisse, itaque non confusus est cum Q. Caecilio Nigro, Verris quaestore. Atque id quoque hodie inter omnes constat Calactinum rhetorem discipulum fuisse Apollodori Pergameni[3], qui in altera parte primi a. Chr. saeculi floruit quemque Caesar Octaviano praeceptorem dederat. Atque, ut iam diximus, aequalis[4] atque amicus fuit Dionysii Hali-

---

[1] Non vero opus est longius disputare de eo, quod Suidas addit: «καὶ ἕως Ἀδριανοῦ.»

[2] Qui hi τινες fuerint, non ignoramus, cum ex Suida (s. v. Ἑρμιππος et Ἴστρος) discamus Hermippum Berytium Philonis discipulum sub Hadriano scripsisse de servis in litteris inlustribus.

[3] Piderit, de Apollodoro Pergameno et Theodoro Gadarensi rhetoribus. Marburg 1842.

[4] Etiam hodie in controversia est, uter prior fuerit. Sunt enim qui Caecilium Dionysium antecessisse existiment, cuius opinionis inprimis Wilamowitzius patronus exstitit (cfr. Herm. XII, p. 332 adn.): «wer ihn» (sc. Dionys.), ait vir doctissimus, «für älter als Caecilius hält, versteht die stilistische Umwälzung gar nicht.» Quae quidem sententia in eo potissimum nititur, quod ille putat, Dionysium, cum de Thucydide amplius disseruisset, iam libros de hoc scriptos ante oculos habuisse. Sane consentaneum est Dionysium non primum accuratius de Thucydide disputasse, sed inde minime colligi licet hac in re Caecilium illum esse secutum. Joh. Müller (de figg. quaestt. critic. pars I. Gryphisw. 1880) Wilamowitzio adstipulatus est nisus potissimum Quintiliani loco (inst. or. III, 1, 16), ubi in enumerandis Graecorum rhetoribus Caecilius ante Dionysium ponitur. Sed non magni momenti esse videtur, quod Quintilianus loco citato Caecilium priorem ponit; nam in sequentibus post Caecilium et Dionysium nominatur Apollodorus et Theodorus, atque similiter inst. or. IX, 3, 89, ubi rursus Caecilius ante Dionysium ponitur, etiam Rutilius ante Cornificium enumeratur, ex quo videas his locis Quintilianum minime temporum rationem servasse.

Rursus vero dici potest Dionysium, cum sex tantum oratores Atticos tractandos sibi sumpserit, iam nosse Caecilii librum π. τῶν ι' ῥητόρων; sed ex alio loco (de ant. oratt. prooem. 4), quo

carnassensis (cfr. Epist. ad Cn. Pomp. 3). Fuit autem Caecilius inter primos rhetores Graecos sub Augusto principe Romae rhetoricam docentes; omnino iisdem atque Dionysius vacabat studiis rhetoricis multisque in quaestionibus cum illo consentiebat. Atque una cum Dionysio acerrimus propugnator fuit Attici dicendi generis ita, ut vel nimis anxie patronus exsisteret puri et consueti Attici sermonis, itaque vel Platoni Lysiam praetulit. Pariter ac Dionysius Asianae dictioni prorsus fuit infestus multaque conscripsit ad Asianam rationem repellendam exstinguendamque, in his inprimis: κατὰ Φρυγῶν; τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ: λέξεις Ἀττικαί; preaterea commentarium composuit π. τῶν δέκα ῥητόρων; περὶ τοῦ Δημοσθένους λόγων, ποῖοι γνήσιοι καὶ ποῖοι νόθοι εἰσίν. etiam τέχνην scripsit.

Ex his Caecilii scriptis pauca tantum fragmenta supersunt, quae tamen virum acerrimi iudicii egregiique ingenii fuisse demonstrant. itaque magna usus est auctoritate apud posteriores rhetores et Graecos et Romanos, qui permulta ex illius scriptis hauserunt. Plurima quidem fragmenta servata nobis exstant ex Caecilii libro π. σχημ. apud Alexandrum Numenium Tiberium Quintilianum atque praecipue ex commentario π. ὕψους, quem maximam partem in Ps. Longini libello nobis exstare infra comprobare studebimus.

De ceteris Caecilii scriptis conferas Burckhardtium, l. c. p. 6 sqq.

Dionysius exponit, ad illud tempus nondum vitam sententiasque antiquorum oratorum esse tractatas, apparere videtur illo tempore Caecilii librum π. τῶν ι' ῥητόρων nondum compositum fuisse.

Sed allatis quae in utramque partem afferi possunt, dici licet hanc quaestionem, uter prior fuerit, numquam diiudicari posse neque ullius momenti esse.

CAPUT PRIMUM.

Quaestionem de terminis rhetoricis [1] apud Ps. Longinum nobis occurentibus ita instituam, ut accuratius vocis definitione data eos comparem cum iisdem locutionibus ab artium scriptoribus usurpatis inde a primordiis artis rhetoricae usque ad Quintiliani aetatem.

Atque in hac comparatione terminorum primum quidem respicienda erit rhetorica ad Alexandrum quae fertur inter Aristotelis opera nobis tradita, quam non Aristoteli verum Anaximeni Lampsaceno tribuendam esse post Victorium praecipue L. Spengel [2] magna cum probabilitate demonstravit. Deinde praeter Aristotelis libros tres π. ῥητορικῆς ratio erit habenda dissertationis Demetrii π. ἑρμηνείας, quem Demetrium non esse Demetrium Phalereum constat [3], atque post Brzoskam [4] veri est simile illum aequalem fuisse Dionysii Halicarnassensis atque apte coniungendum esse cum Pergamenis.

---

[1] De terminis technicis cfr.: L. Cressol, theatrum rhetoricum, libb. 5. Paris 1620. — Jo. Chr. Ernesti, lexicon technologiae Graecorum rhetoricae. Lipsiae 1795. — R. Volkmann, die Rhetorik d. Griechen u. Römer, ed. altra, 1885.

[2] τεχνῶν συναγωγή. 1828. cfr. p. 138 sqq.; philolog. t. XVIII, p. 604-646; cfr. etiam Finkh, commentatio de auctore rhetoricae quae dicitur ad Alexandrum. 1849.

[3] H. Liers, de aetate et scriptore libri qui fertur Demetrii Phalerei π. ἑρμ. Vratisl. 1880; cfr. Fleck. iahrbb. 1885, bd. 131, p. 579. — Hammer, Demetrius π. ἑρμ. Ein litterar-historischer Versuch 1883 Landshut; Bursians Jahresber. 1886, p. 97 sqq.

[4] De canone decem oratorum quaestiones, 1883 Vratisl.

Praeter ceteros vero artium scriptores Caecilii ipsius fragmenta afferri opus erit atque Dionysii Halicarnassensis scripta rhetorica, quia propter magnum consensum Caecilii et Dionysii etiam iis locis ubi Caecilii praecepta nobis desunt, saepius ex Dionysio concludi potest, quae ille docuerit. Atque multa quidem lucramur ad quaestionem propositam solvendam ex Alexandri Numenii libro π. σχημάτων qui fertur — hunc librum non ab Alexandro Numenii Hadriano imperatore florente sed a posteriore rhetore ex genuino illius commentario conscriptum esse constat[1] — et ex Tiberii libello π. σχημ. qui sicut liber Alexandri maximam partem ex Caecilii commentario de figuris fluxisse videtur.

Etiam Romani rhetores respiciendi nobis sunt. Constat enim rhetores Romanos prorsus pendere a Graecis atque Graecorum artium scriptorum praecepta tantum plerumque nobis tradere; in his vero praecipue afferendi sunt Cornificius Cicero Quintilianus.

I.

Figurae in libro π. ὕψ. usurpatae.

Iam diximus Quintilianum Alexandrum Tiberium multa fragmenta nobis servasse ex Caecilii de figuris doctrina, ita ut facile, quae hic hac de re docuit, cum Ps. Longino comparare possis.

«Inprimis in hac libelli parte qua figurae percensentur, multa incertum auctorem a Caecilio esse mutuatum persuasum mihi est» dicit Morawski (l. c. p. 36),

---

[1] Steusloff, quibus de causis Alexandri Num. liber putandus sit spurius, 1861 Vratisl.

qui multa adhuc pertinentia tractavit et primus quidem comprobavit etiam Quintilianum in iis quae de figuris docet, magnam partem a Caecilio pendere (l. c. p. 54 sqq.).

Alexander quidem et Tiberius in definitionibus figurarum, quas praebent atque potissimum in exemplis ad illas illustrandas prolatis saepissime congruunt, «neque vero alter ex altero, id est Tiberius ex Alexandro hausit: nam in similibus habent quae differant» (cfr. Burckhardt, p. 17) ita, ut hinc colligi possit utrumque ex uno eodemque fonte sua hausisse, Caecilium dico Calactinum. Sed etiam aliud a probabilitate non prorsus abhorrere videtur; nam etiam id fieri potuit, ut et Alexander et Tiberius compendio, quod ex Caecilio fluxerat, uterentur. Nihilominus etiam hoc concesso Alexander et Tiberius Caeciliana plerumque tradunt.

Caecilius, ut hoc praemittam, minima quaeque figurarum discrimina popriis nominibus notasse videtur.

Ps. Longinus copiose figuras rhetoricas tractat atque fusius de iis disputat in capp. 16-29, ita ut videas non parvi momenti eas esse in disputatione de sublimitate: hinc vero manifesto apparere videtur etiam Caecilium in suo commentario accuratius atque copiosius figuras tractasse; nam quin figuras in libro π. ὕψους ille non neglexerit, cum per se patet, tum inprimis elucet ex Ps. Longini ipsius verbis p. 11, 2 (ed. V.) traditis.

Quibus praemissis primum quidem pauca disputabimus de definitione vocis σχῆμα, quod primum apud Anaximenem in τέχνῃ ῥητορ. 30, 36[1] invenimus, qui

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 218-236.

vero nondum definitionem huius verbi praebet neque figurarum bipartitionem cognovisse videtur. Aristoteles (π. ῥητ. I. 12; II. 8; III. 8) iam σχήματα τῆς λέξεως habet, sed dignosci nequit, num etiam σχήματα τῆς διανοίας habuerit. Cicero iam novit figurarum bipartitionem in σχήματα λέξεως et διανοίας — distinguit etiam tropos et figuras[1] — atque σχηματα ei sunt formae orationis et sententiarum vel «lumina» (cfr. Brut. 37). Demetrius distinguit inter σχηματα vel εἰδη τῆς διανοίας et σχημ. τῆς λέξεως, atque σχημ. λεξεως και ὑποκρισιν και ἀγῶνα παρέχει τῷ λέγοντι. μάλιστα τὸ διαλελυμενον, τουτέστι δεινότητα (cfr. π. ἑρμ. 267, 271).[2]

Dionysius Halicarnassensis non praebet definitionem huius termini, sed ipse quoque profert figuras λέξεως et ἐννοίας cfr. de compos. verb. 8. Demosth. 39. Multo magis ad nostram rem facit, quod Caecilii huius nominis definitio servata nobis exstat apud Phoebammonem π. σχημάτων:[3] Καικίλιος δὲ ὁ Καλακτιτης ὡρισατο οὕτω, σχῆμά ἐστι τροπὴ εἰς το μὴ κατα φύσιν το τῆς διανοιας καὶ λέξεως.

Ps. Longinus non propriam quidem σχήματος definitionem praebet, sed ex verbis p. 32, 1: τις δ' ἡν ἡ κατὰ φύσιν χρῆσις . . . loquitur hoc loco scriptor π. ὕψ. de figura apud Demosthenem exstante in orat. de cor. 208, et p. 37, 17 prolatis: τὴν ἐκ τοῦ κατα φυσιν ἑρμην . . . . apparere videtur similem quidem atque Caecilium σχήματος definitionem eum in mente habuisse. Atque pariter distinguit Ps. Longinus inter figuras

---

[1] cfr. Brut. 17, 69: «ornari orationem Graeci putant si verborum immutationibus utantur, quos appellant τροπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα.»

[2] cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 319, 320.

[3] cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 44.

λέξεως et νοήσεως, cfr. p. 11, 3: τῶν σχημάτων πλάσις — διοσά δέπου ταῦτα τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως, cfr. etiam p. 37, 8; non magni est, quod hic dicit pro διανοίας σχημ. νοήσεως, nam etiam Dionysius Hal. semel habet σχ. λέξεως et νοήσεως cfr. de Demosth. 39.

Notandum est ex Phoebammonis verbis supra allatis patere Caecilium prorsus diversam ab iis habuisse opinionem, qui ut Cicero et Dionysius qualemcunque formam orationis sententiarumque figuram esse existimaverint.[1]

Verba quidem Ps. Longini ἡ κατὰ φύσιν χρῆσις et τὴν ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν εἱρμοῦ non abhorrent a Caecilianis τροπὴ εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν, ita ut coniciam scriptorem π. ὕψ. hic tacite Caeciliana accepisse, praesertim cum haec figurae definitio primum a Caecilio constituta esse videatur.

Alexander Num. hanc definitionem praebet: σχῆμα δέ ἐστιν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν ἢ κατὰ διάνοιαν ἄνευ τρόπου (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 11).

Tiberius vero haec habet: ἔστι τοίνον σχῆμα τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸν νοῦν ἐκφέρειν μηδὲ ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ἐκτρέπειν καὶ ἐξαλλάσσειν τὴν διάνοιαν κόσμου τινὸς τῇ πλάσει ἢ χρείας ἕνεκα (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 59). — Quae verba, cum bene Phoebammonis mancam definitionem suppleant, satis clare demonstrare videntur Tiberium hic Caecilium secutum esse.

Quintilianus vero sic vocem σχῆμα interpretatur: «schema in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio» (inst. or. IX 1, 11); quae definitio non discedit sane ab iis quae Alexander et Tiberius praecipiunt, et cum ex sequentibus Fabii

---

[1] cfr. Burckhardt. p. 19; Morawski p. 54.

verbis (inst. or. IX, 1, 12) appareat illum non ignorare, quae Caecilius in universum de σχήματος natura disseruerit, non veri dissimile videtur esse Quintilianum quoque hic Calactinum rhetorem esse secutum.

Sed iam accedamus ad singulas figuras tractandas, atque discrimine inter σχήματα διανοίας vel νοήσεως et λέξεως facto primum disputemus *de sententiarum figuris*. Etenim in tractandis figuris veteres artium scriptores fere omnes primo loco σχημ. διανοίας ponunt: «natura enim prius est concipere animo res quam enuntiare, ita de iis figuris ante est loquendum quae ad mentem pertinent» (cfr. inst. or. IX, 1, 19); quibuscum Tiberii verba plane consentiunt: πρῶτον οὖν τα τῆς διανοίας σχήματα δεικτέον, ἐπει δεῖ τὸν νοῦν πάντως τοῦ λόγου προηγεῖσθαι (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 60). Ps. Longinus quidem in ipsis figuris tractandis non clare discernit haec figurarum duo genera.

Atque primum quidem disputemus de figura αὔξησις, quamquam confiteri debemus non liquere, utram in partem figurarum haec conferenda sit. Neque enim Ps. Longinus αὔξησιν inter ipsas ponit figuras; disputat vero de illa in ea libri sui particula, qua agit de elatis sententiis.

Anaximenes quidem et Aristoteles αὔξησιν amplificationem vel exaggerationem interpretantur. Atque Anaximenes dicit. αὔξησιν inprimis in genere demonstrativo locum habere (cfr. τεχ. ῥητ. 3):[1] ἐγκωμιαστικον εἶδος προαιρέσεων και πράξεων καὶ λόγων ἐνδόξων αὔξησις . . cui opponitur ταπείνωσις . : αὔξησις δὲ καὶ ταπείνωσις συλλήβδην ἅπαντα τὰ τοιαῦτα τόνδε τὸν τρόπον μετιών, πρῶτον μὲν ἀποφαίνων — tres quidem species αὐξήσεως distinguit, quae

---

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 186 sqq.

omnes orationem amplificant exaggerantque; atque sub finem disputationis de illa figura haec proferuntur: ἡ πλείστη δύναμις αὐτῶν ἐστιν ἐν τοῖς ἐγκωμίοις.[1] Atque pariter Aristoteles hanc figuram explanat: πίπτει δ' εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους, atque porro: ὅπως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη τοῖς ἐπιδεικτικοῖς. — μέγεθος περιθεῖναι καὶ κάλλος (cfr. π. ῥητ. I, 9 et III, 17).

Ps. Longinus, apud quem saepius haec vox occurrit, copiose de ea agit p. 23, 24. Ut iam diximus, intellegit αὔξησιν orationis virtutem (cfr. π. ὕψ. p. 23, 6/7 ad sublimitatem efficiendam conferentem; atque, ut ex his locis apparet, elocutioni atque dictioni scriptor π. ὕψ. eam attribuere videtur. Atque permulta exaggerationis genera ponit, π. ὕψ. p. 23, 11/12-24, 1 sq., Ps. Longinus refutat artium scriptorum definitionem: ὁ μὲν οὖν τῶν τεχνογράφων ὅρος ἔμοιγ' οὐκ ἀρεστός. quae quidem verba satis clare demonstrare videntur scriptorem π. ὕψ. parvi aestimare τοὺς τεχνογράφους. Ipse quidem sic αὔξησιν definit (p. 24, 8 sqq.): καὶ ἔστιν ἡ αὔξησις, ὡς τύπῳ περιλαβεῖν, συμπλήρωσις ἀπὸ πάντων τῶν ἐμφερομένων τοῖς πράγμασι μορίων καὶ τόπων, ἰσχυροποιοῦσα τῇ ἐπιμονῇ τὸ κατεσκευασμένον, ταύτῃ τῆς πίστεως διεστῶτα, ὅτι ἡ μὲν τὸ ζητούμενον....

Eadem fere definitio, quam secundum Ps. Longinum οἱ τεχνογράφοι praebent, αὔξησίς ἐστι, φασί, λόγος μέγεθος περιτιθεὶς τοῖς ὑποκειμένοις, quam iam Anaximenes et Aristoteles, sicut supra vidimus, dederunt, etiam scripta invenitur in arte Anonymi Segueriani:[2] αὔξησίς ἐστι λόγος μεῖζον ποιῶν φαίνεσθαι τὸ πρᾶγμα.

---

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 188,13.

[2] cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 427 sqq. Haec incerti auctoris ars

Qui vero hi τεχνογράφοι fuerint, iam non videre licet, sed probabile mihi videtur esse Ps. Longinum praeter ceteros Caecilium in mente habuisse.

Iam vero transeamus ad figuram διατύπωσιν, quae coniuncta cum ἀσυνδέτοις et ἐπαναφορᾷ nobis occurrit in libro π. ὕψ. p. 36, 7 sq., atque significat quidem descriptionem, qua res veluti adumbrata et spectanda nobis proponitur. Has figuras Ps. Longinus illustrat exemplo e Demosthenis Midiana desumpto: πολλαὶ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὢν ὁ παθὼν ἕνια οὐδ' ἂν ἐπαγγεῖλαι δύναιτο ἑτέρῳ τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ. et porro haec habet: ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρός, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης . . . ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης φησί ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους.

Nunc autem apud Tiberium in libro π. σχημ. idem exemplum Demosthenicum adhibitum invenimus ad figuras ἐπαναφορὰν et ἀσύνδετον illustrandas — bis vero profert ille hoc exemplum; ad ἐπαναφοράν hoc exhibet exemplum: οἷον ὅταν ἐπὶ κόρρης, ὅταν κονδύλοις, ad ἀσύνδετον: οἷον ἐπὶ κόρρης, ὅταν κονδύλοις, ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησι (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 72, 28; 78, 2). Quae verba plane congruunt cum iis quae Ps. Longinus profert. Etiam διατύπωσιν hoc loco a Caecilio laudatam esse, magna cum probabilitate coniecerunt Morawski (l. c. p. 36) et Martensius (l. c. p. 16); atque Martensius quidem affert scholion ad Midianam orationem,[1] ubi non solum ἐπαναφορά et ἀσύνδετον verum etiam διατύπωσις memorantur. Accedit, quod definitio διατυπώσεως, quam

---

«bonae frugis plena» (Sp. rhett. Gr. I, praef. p. XXVIII) primum a Seguerio est edita; auctor ignotus semper rhetores afferre solet, a quibus sua mutuatus est: ita saepius affert Harpocrationem et Neoclem, sed plurima ex Alexandro sumpsisse videtur.

[1] cfr. schol. p. 573 D.

Tiberius nominatim Caecilio adscribit, non abhorret ab iis quae Ps. Longinus exhibet: τὴν δὲ διατύπωσιν παρῆκεν Ἀψίνης, Καικίλιος δὲ ἔθηκεν ἐν τοῖς τῆς διανοίας σχήμασιν[1] sequitur definitio. Itaque planum est Ps. Longinum, quod etiamnunc intellegi potest, exempla quidem ad hanc figuram illustrandam ex Caecilio desumpsisse, etiam in aliis eum hoc loco illum sequi probabile est.

Quae vero Quintilianus (inst. or. IX 2, 40) de figura ὑποτύπωσις, quae idem est atque διατύπωσις, praescribit, prorsus congruunt cum Tiberii rhetoris praeceptis: uterque enim tres huius figurae definitiones praebet eodem ordine positas; utriusque verba adponam:

Quint. inst. or IX 2, 40. 41.	Tib. Sp. III, p. 79.
1. ὑποτύπωσις-sub oculos obiectio, tum fieri solet, cum res ut sit gesta ostenditur, nec universa sed per partis.	1. ἡδιατύπωσις-ὑπομνήσκει τῶν γεγενημένων ἐναργειῶν καὶ ἑκάστων ἐξαριθμουμένων τῶν μερῶν.
2. ab aliis dicitur proposita quaedam rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videantur quam audiri.	2. καὶπάλιν · ἡδιατύπωσις ἐπι τὴν θέαν ἄγει τῶν οὐχ ἑωραμένων.
3. nec solum quae facta sint aut fiant sed etiam quae de futuro sint aut futuro fuerint, imaginamur.	3. τρίτο ὅρος διατυπώσεως, ὅταν τὰμὴ γεγονότα διατυπώμενοι εἰσάγωμεν καθ' ὑπόθεσιν οἷον τί ἂν ἐγένετο, καὶ τίἂν ἐπράχθη.

Ita statuendum esse videtur Quintilianum hic Caecilium secutum esse. Atqui hoc loco etiam Corn.

---

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 79.

Celsus a Quintiliano affertur; Fabius exponit ibi Celsum nomen evidentiae posuisse (cfr. etiam inst. or. VIII, 3, 61) ad eam figuram designandam, quam Cicero «sub oculos subiectionem» vocaverat: hinc quidem concludi licet eo loco Quintilianum hoc tantum ex Celso attulisse minime vero definitionem.

Διασυρμός figura a Caecilio primo constituta esse videtur, cuius definitionem idem Tiberius nobis servavit (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 79): τὸ δὲ διασυρμοῦ σχῆμα Καικίλιος ἐνέθηκε· τοῦτο δέ ἐστι τὰ μεγάλα μικρὰ ποιῆσαι καὶ ἐξευτελίσαι. Atque Alexander Numen. hanc figuram sic definit: διασυρμὸς δ' ἐστίν, ἐπειδὰν λέγωμεν ἀξιοπίστως διασύροντες ὡς Ὑπερείδης ἐπὶ Δημοσθένους. Ex similitudine vero exempli ab utroque ex Demosthene ducti colligi potest, quae Alexander et Tiberius hic docent, e Caecilio fluxisse. Quo melius id appareat, utriusque verba afferam:

Alex. cfr. Sp. III, 26	Tib. cfr. Sp. III, 79.
καὶ ὡς Δημοσθένης πρὸς αὐτὰ ταῦτα, πάνυ γὰρ κατὰ τοῦτο χείρω γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τοῦτο τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διεξῆλθον ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ μετήγαγον.	... οὐ γὰρ παρὰ τοῦτο εὐχερῆ γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα ἀλλὰ μὴ τοῦτο διελέχθην ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα.

Atque Ps. Longinus quidem exhibet hanc figuram διασυρμόν p. 53, 4 et p. 59, 10. π. ὕψ. p. 53, 4 vero διασυρμός affertur tamquam orationis virtus, quae Hyperidis inprimis propria sit — agit enim hoc loco auctor π. ὕψ. de Demosthene et Hyperide inter se comparandis; π. ὕψ. p. 59, 10 Ps. Longinus haec profert: καί πως ὁ διασυρμὸς ταπεινότητός ἐστιν αὔξησις. Num etiam in his verbis Caeciliana vestigia agnosci possint, non

facile diiudicandum est; nempe Ps. Longini definitio huius figurae non abhorret quidem ab Alexandro et Tiberio, huc accedit quod etiam Ps. Longinus hanc figuram inprimis Hyperidi tribuit.

In disputatione de figuris scriptor π. ὕψ. p. 34, 24 sqq.-35,20 de *interrogationis* figura dissert, atque duo σχήματα interrogationis praebet inter se diversa ἐρώτησιν et πεῦσιν. Ex Ps. Longini vero verbis vix diiudicari potest, quodnam eorum discrimen ille statuerit, etsi diversa ea esse inter se illum intellegere ex ipsius verbis p. 34, 24 citatis apertum est: Τί δ' ἐκεῖνα φῶμεν, τὰς πεύσεις τε καὶ ἐρωτήσεις; ἆρα οὐκ αὐταῖς ταῖς τῶν σχημάτων εἰδοποιΐαις παρὰ πολὺ ἐμπρακτότερα καὶ σοβαρώτερα συντείνει τὰ λεγόμενα;

Apud Anaximenem et Aristotelem, cum ἐρώτησις sane nota sit, quam Aristoteles λέξεως σχῆμα dicit,[1] πεῦσις apud neutrum invenitur.

Stoici primi fuisse videntur, qui has duas interrogationis figuras in rhetoricam introduxerint earumque discrimen statuerint. Diogene Laertio enim auctore (lib. VII, 191) Chrysippus[2] conscripsit π. ἐρωτήσεως duos, π. πεύσεως quattuor libros; idem Diogenes nobis tradit, quae Stoici de his figuris praescripserint, l. VII, 66: διαφέρει δ' ἀξίωμα καὶ ἐρώτησις καὶ πυσμα. Ἐρώτημα δέ ἐστι πρᾶγμα αὐτοτελὲς μέν, ὡς καὶ τὸ ἀξίωμα, αἰτητικὸν δὲ ἀποκρίσεως, οἷον Ἀρά γ' ἡμέρα ἐστί, τοῦτο δ' οὔτε ἀληθές ἐστιν οὔτε ψεῦδος.

Πύσμα δέ ἐστι πρᾶγμα πρὸς ὃ συμβολικῶς οὐκ ἔστιν ἀπο-

---

[1] cfr. π. ποιητικῆς, 19.

[2] Huc pertinent etiam Chrysippi libri tres περὶ ἀποφατικῶν, quorum fragmenta exstant in papyro Aegyptiaco primum edita a Letronnio a. 1838. cfr. Th. Bergk, Op. II, p. 111 sqq: commentatio de Chrysippi libris π. ἀποφατικῶν.

κρίνεσθαι, ὡς ἐπὶ τοῦ ἐρωτήματος, Ναί, ἀλλ' εἰπεῖν, Οἰκεῖ ἐν τῷ δε τόπῳ.

Porro Dionysius Halicarnassensis, cum afferat figuram πεῦσιν, etiam ἐρώτησιν et πεῦσιν distinxisse videtur, atque πεῦσιν quidem Dionysius Demosthenis potissimum propriam esse dicit (de vi Demosth. 54).

Deinde etiam Alexander Numenius has interrogationis figuras distinguit easque sic definit (Sp. rhett. Gr. III, p. 24 sq.): ἐρώτημά ἐστι πρὸς ὃ ἀνάγκη ἀποκρίνασθαι κατ' ἀπόφασιν ἢ κατάφασιν οὕτω, ναὶ ἢ οὔ. ἀνάγκη γὰρ καὶ πρὸς τοῦτο ἢ ναὶ ἢ οὔ ἀποκρίνασθαι . πύσμα δέ ἐστι πρὸς ὃ διεξωδικῶς ἀπαντῆσαι δεῖ καὶ διὰ πλειόνων — ἐνταῦθα γὰρ οὐκ ἔστιν ἀποκρίνασθαι ναὶ ἢ οὔ, ἀλλὰ διὰ πλειόνων ἀνάγκη ἁπαντᾶν τῷ τοιοῦτον ἐροῦντι. Quae hic Alexander docet, plane cum Stoicorum praeceptis consentiunt atque inprimis cum Chrysippo:[1] itaque Stoica vestigia ab Alexandro tradita sunt. Iam vero constat Caecilium et Dionysium Halicarnassensem permulta ex Stoicis inprimis hausisse; quo concesso etiam apertum est, unde Ps. Longinus et praecipue Alexander sua sumpserint: non vero a Stoicis ipsis utrumque haec mutuatum esse sed a Caecilio probabile fit; accedit quod et Longinus et Alexander Num. ad has figuras illustrandas exempla e Demostheno deprompta proferunt, et Dionysius, ut iam vidimus, hanc πεύσεως figuram inprimis Demosthenis esse propriam affirmavit.

Etiam apud Alexandri sectatores vel potius epitomatores, apud Zonaeum[2] et Aquilam[3] Romanum

---

[1] cfr. Bergk, Op. II, p. 111-146.

[2] Zonaei librum de figuris epitomen Alexandri esse, cuius sententiarum figurae eodem fere ordine eisdemque definitionibus in brevius contractae referuntur, constat.

[3] Liber Aquilae Romani de figuris in veteribus editionibus

ἐρώτησιν et πύσμα invenimus (cfr. etiam Phoebammonem, Sp. rhett. Gr. III, p. 45; Anonym. π. σχημ. Sp. rhett. Gr. III, p. 179).

Restat, ut verba faciamus de ὁρκικῷ vel ὁμοτικῷ σχήματι[1], quae figura apud Stoicos primos nobis occurrit, quorum definitionem Diogenes Laertius nobis tradit l. VII, 66. Stoici enim τὸ ὁρκικὸν intellegunt formam enuntiati (ἀξιώματος), eam quidem qua ius iurandum contineatur; definitionem verum eorum τοῦ ὁρκικοῦ σχημ. non iam habemus, quam probabile est illo loco intercidisse. Atque veri est simile posteriores rhetores a Stoicis hanc figuram accepisse.

Apud scriptorem π. ὕψ. rursus hanc iuramenti figuram invenimus, qui ineunte disputatione de figuris fusius atque copiose illam tractat. cfr. π. ὕψ. p. 32 sqq. Atque p. 32 τὸ ὁμοτικὸν σχῆμα exemplo Demosthenico (de cor. 208) illustrat. p. 33 denuo recurrit ad haec Demosthenis verba, ubi exponit eas figuras optimas esse, quas figuras esse lateat. Neque vero praecise atque plane Ps. Longinus hanc figuram definit.

Iam videamus, quo ex fonte Ps. Longinus sua hauserit. Intelleximus quidem Stoicos primos agnovisse hanc figuram atque in rhetoricam artem introduxisse. Itaque Fr. Stiller l. c. p. 55 existimavit scriptorem π. ὕψ., quae de ὁμοτικῷ σχήματι doceret, sumpsisse ex ipsis Stoicis. Sed iam supra vidimus Ps. Longinum in simili re non ex Stoicis sua desumpsisse verum ex Caecilio Calactino. Atque primum quidem Ludovicus Vaucher[2] ostendit Tiberium rhetorem eadem

inscriptus est: «Romani Aquilae de nominibus figurarum et ex exemplis libr. Ex Alexandro Numenii.»

[1] cfr. Martensii l. c. p. 14 sq. et Fr. Strilleri l. c. p. 55.

[2] Etudes critiques sur le traité du Sublime et sur les écrits de Longin, Genf 1854. cfr. p. 188 adn.

Demosthenis verba pro ferre. Itaque iam Martensius, l. c. p. 15 sq. existimavit Ps. Longinum eundem Demosthenis locum apud Caecilium legisse eumque deinde magnifico verborum ornatu amplificasse. Tiberius enim, quae de ὁρκικῷ praescribit (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 69) ex Caecilio descripsisse videtur. Ut vero appareat similitudo Ps. Longini et Tiberii, verba eorum adponam.

Tib. (Sp. III, p. 69)

Φαίη δ' ἄν τις καὶ τὸ ὅρκου σχῆμα εἶναι παρ' αὐτῷ (sc. Demostheni) τὸ γὰρ οὐ μά τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους καὶ τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίῳ ναυμαχήσαντας, καὶ... ὅρκος ἐστί. τινὲς δέ φασι τοῦτο παράδειγμα εἶναι οὐ γάρ ἡμάρτετε ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας κίνδυνον ἀράμενον.

Ps. Long. π. ὕψ. p. 32,2 sqq. et 33,14 sqq.

οὐχ ἡμάρτετε, ὦ τὸν ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἀγῶνα ἀράμενοιοὐδὲγὰρ οἱ ἐν Μαραθῶνι ἥμαρτον οὐδ' οἱ ἐν Σαλαμῖνι οὐδ' οἱ ἐν Πλαταιαῖς. τοὺς προκινδυνέυσαντας Μαραθῶνι καὶ τοὺς Σαλαμῖνι καὶ ἐπ Ἀρτεμισίῳ ναυμαχήσαντας, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους.'

Plane igitur exempla a Ps. Longino et Tiberio ad figuram ὅρκου illustrandam exhibita congruunt, atque prorsus similem fere videas apud utrumque disputandi rationem. Porro quidem Tiberius sub figura ἐπαναλήψεως, quam Caecilium παλιλλογίαν appellasse affirmat, affert exempli gratia haec Demosthenis verba:[1] ἀλλ' οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστιν, ὅπως ἡμάρτετε τὸν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας κίνδυνον ἀράμενοι — cfr. π. ὕψ. p. 32, 8: οὐκ ἔστιν . . . Si iam inde coniicimus scriptorem π. ὕψ. Caecilium secutum esse, haec suspicio admodum firmatur, si

[1] Sp. rhett. Gr. III, p. 71, 5qq

Quintilianum adimus, qui (inst. or. IX, 2,62) in hoc Demosthenis iure iurando afferendo plane cum Ps. Longino consentit :

cfr. π. ὕψ. 33,7 sqq.	inst. or. IX, 2-62
παρὰ τῷ Δημοσθένει πεπραγματεύεται πρὸς ἡττημένοις ὁ ὅρκος, ὡς μὴ χαιρώνειαν ἐπ᾽ Ἀθηναίοις ἀτύχημα φαίνεσθαι.	Demosthenes iurando per interfectos in Marathone et Salamine id agit, ut minore invidia cladis apud Chaeroneam acceptae laboret.[1]

Inde quidem manifesto apparere videtur Ps. Longinum et Quintilianum hic a Caecilio pendere; Ps. Longinus vero singulari atque copiosa interpretatione verborumque abundantia et ornatu exemplum Demosthenicum amplificare studet atque tacite Caecilii sententias impugnat. Sic. π. ὕψ. p. 32, 9 sq. certe quidem Caecilium superare studet, cum dicit: φαίνεται δι᾽ ἑνὸς τοῦ ὁμοτικοῦ σχήματος, ὅπερ ἐνθάδε ἀποστροφὴν ἐγὼ καλῶ, κ. τ. λ., unde perspicuum fit Caecilium nihil nisi ὁμοτικὸν σχῆμα in illo loco vidisse, quod etiam ex Tiberii verbis collegi licet. Similiter scriptor π. ὕψ. p. 32, 20 sq. Caecilium impugnare videtur, cum dicit esse qui existiment huius iurisiurandi originem apud Eupolin inveniri.[2]

Neque praetermittere nolim, quae Aelius Aristides[3] in τεχ. ῥητ. (cfr. Sp. rhett. Gr. II, p. 461 sq.) de hac

---

[1] cfr. etiam inst. or. XI 3, 168; XII 10, 24.

[2] Wilamowitzius non recte statuere videtur Caecilium ignorasse iurisiurandi figuram esse (cfr. Herm. X, p. 338).

[3] Post H. Baumgartii librum: Ael. Aristides als Repraesentant d. sophist. Rhetorik d. II. j. d. Kaiserzeit, 1874 (cfr. p. 137 sqq) constat τέχνας ῥητ. ab Aristide minime esse abiudicandas.

iurisiurandi figura praescripserit. Atque primum quidem facile intelligas congruere cum Ps. Longino, quae profert Aristides (cfr. Sp. II, p. 461). Haec quidem exhibet: τὸ δὲ καὶ ὀμόσαι ὡς κατὰ θεῶν τῶν προγόνων, τοῦτο ἔχει τὴν ὑπερβολὴν τῆς σεμνότητος, οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων . δῆλον δὲ ὅτι ἐν τοῖς ἐνδόξοις καὶ καθ' ὑπερβολὴν τῶν ἀγώνων ὁ καιρὸς τῶν τοιούτων ἐννοημάτων. Haec vero non abhorrent a Ps. Longini verbis p. 33, 1 sqq. citatis: ἔστι δ' οὐ τὸ ὁποσοῦν τινα ὀμόσαι μέγα, τὸ δὲ ποῦ καὶ πῶς καὶ ἐφ' ὧν καιρῶν καὶ τίνος ἕνεκα. Deinde mirum in modum Aristidis verba cum Tiberio congruunt, ita ut utriusque verba me adponere oporteat:

Tib. (Sp. III, 60,9 sqq.

τινὲς δέ φασι τοῦτο παράδειγμα εἶναι · οὐ γὰρ ἡμάρτετέ φησιν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας κίνδυνον ἀράμενοι, ὥς περ οὐδὲ οἱ ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντες . καὶ γάρ ἐστιν ὅμοιον τῷ ὑπὲρ ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηριάς κίνδυνον ἄρασθαι τὸ ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεῦσαι. τὸ μὲν οὖν πρᾶγμα παράδειγμα ἐποίησεν ἀντὶ δὲ τοῦ εὐθέως εἰπεῖν ἐσχημάτισεν, πρός τε τὸ λαμπρὸν ἅμα καὶ τὸ ἀξιόπιστον εἰς ὅρκου φαντασίαν μεταβάλλων.

Arist. (Sp. II, 461,28 sqq.

φαίη δ' ἄν τις καὶ τὸ ὅρκου σχῆμα εἶναὶ πᾶν · αὐτὸ γὰρ τὸ οὐ μα τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας οὐκ ἔστιν ὅρκος, ἀλλὰ παράδειγμα, οἷον οὐχ ἡμαρτήκατε τὸν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας ἀράμενοι κίνδυνον, ὥς περ οὐδ' οἱ ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντες · καὶ γάρ ἐστιν ὅμοιον τῷ τὸν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων σωτηρίας κίνδυνον ἄρασθαι τὸ ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεῦσαι. τὸ μὲν οὖν πρᾶγμα εἰς παράδειγμα ἀντὶ τοῦ εὐθέως εἰπεῖν ἐσχημάτισε, πρός τε τὸ λαμπρὸν ἅμα καὶ ἀξιόπιστον εἰς ὅρκου φαντασίαν μεναβαλῶν.

In his igitur admodum eadem docent Aristides et Tiberius, sed minime accipi potest Tiberium hic

Aristidem secutum esse. Nam praeterquam quod Tiberius nusquam Aristidem nominat, iam supra consensum Tiberii et Ps. Longini vidimus, id quod ad Caecilium nos ducit. Sane quidem apertum est Ps. Longinum non omnia praebere, quae apud Aristidem et Tiberium invenimus; nam manifestum est Aristidem et Tiberium ex Caecilii libro de figuris sua sumpsisse, quo haec omnia fusius explicata erant quam in libro π. ὕψους, ex quo Ps. Longinus sua hausit. Plane vero confirmatur atque planum fit et Ps. Longinum et Aristidem et Tiberium ex Caecilio sua ascripsisse, si Ps. Longini verba: τοῖς δὲ κρίνουσι τὸ τῶν ἐκεῖ προκινδυνευσάντων ἐντιθεὶς φρόνημα, τὴν δὲ τῆς ἀποδείξεως φύσιν μεθεστακὼς εἰς ὑπερβάλλον ὕψος καὶ πάθος καὶ ξένων καὶ ὑπερφυῶν ὅρκων ἀξιοπιστίαν (π. ὕψ. p. 32, 12 sqq.) comparamus cum iis quae Aristides et Tiberius sub disputatione de ὅρκῳ exponunt.

Etiam Hermogenes saepius profert hunc Demosthenis iuris iurandi locum. Atque primum quidem in libro π. ἰδεῶν I, 9 (cfr. Sp. rhett. Gr. II, p. 306, 23 sqq.), cum de λαμπρότητι disputat, hanc exhibet figuram: . . . τὸ οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων καὶ τὰ ἑξῆς. Verba vero: ὁ δὲ εἰς ὅρκον αὐτὸ ἀναγαγὼν ἐνδοξότερον ἐποίησε καὶ λαμπρόν plane congruunt cum Ps. Longini Aristidis Tiberii supra allatis. Deinde Hermogenes iterum π. ἰδ. II, 3 (Sp. rhett. Gr. II, 355) ad hunc Demosthenis locum recurrit, ubi prorsus idem exprimit atque scriptor π. ὕψ. p. 32, 12 sqq. Praeterea Hermogenes π. μεθόδου δεινότητος, 20 (Sp. rhett. Gr. II, p. 443, 1) hoc iusiurandum dicit ὅρκον ἠθικὸν πολιτικόν. Hie vero Hermogenes aut ex Aristide sua hausit, aut quod veri est similius, ex ipso Caecilio.

Sequitur, ut nunc ad *verborum figuras* tractandas accedamus.

Atque primum quidem disputabimus de figuris, quas ἐναλλάξεως nomine Ps. Longinus complexus est, π. ὕψ. p. 38 sqq.: αἱ τῶν πτώσεων χρόνων προσώπων ἀριθμῶν γενῶν ἐναλλάξεις πῶς ποτε καταποικίλλουσι καὶ ἐπεγείρουσι τὰ ἑρμηνευτικά, de quibus deinceps copiose disputat. Quas figuras Caecilius, ut ex Tiberio videmus, nomine ἀλλοιώσεως comprehendit. Tiberius enim sic (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 80, 8): καὶ τὸ τῆς ἀλλοιώσεως σχῆμα εἰσάγει ὁ Καικίλιος, καί φησιν αὐτὴν γίνεσθαι κατ' ὄνομα καὶ πτώσεις καὶ ἀριθμοὺς καὶ πρόσωπα καὶ χρόνους.[1]

Etiam Alexander Num. in hac figura tractanda Caecilium secutus esse videtur, plane enim cum Tiberio congruit (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 33, 19); pro ἀλλοιώσει etiam ἀλλαγήν ponit, atque Alexander quidem dicit: ἡ ἀλλοίωσις ἢ καὶ ἀλλαγὴ σχῆμά ἐστι ποικίλον, pariter quidem scriptor π. ὕψ. habet: ἐναλλάξεις καταποικίλλουσι, p. 38. Tota vero hac disputatione Ps. Longinum magis cum Alexandro congruere videbimus quam cum Tiberio, unde elucet Alexandrum diligentius Tiberio Caeciliana nobis tradere. Ita exemplum, quod apud Alexandrum exstat (Sp. rhett. Gr. III, p. 33, 24), occurrit nobis in libro π. ὕψ. p. 40, 3; uterque enim, ut exemplo illustret, saepe pro plurali numero singularem esse positum, haec exhibet:

π. ὕψ. p. $40_{,3}$:	Alex. (Sp. III, $33_{,24}$):
‚ἔπειθ' ἡ Πελοπόννησος ἅπασα διειστήκει φησί (sc. Demosth.)	καὶ ὡς Δημοσθένης, ἔπειτα δ' ἡ Πελοπόννησος διειστήκει ἀντὶ τοῦ οἱ Πελοποννήσιοι.

[1] Quia ἀλλοιώσεως nomen non invenitur apud Ps. Longinum, Morawski, l. c. p. 46 adn. suspicatus est Caecilii π. ὕψους libellum compositum esse ante librum π. σχημάτων.

Atque porro exemplum ab Alexandro (Sp. III, p. 33, 28) et Tiberio (Sp. III, p. 81, 2) citatum exhibet Ps. Longinus p. 42, 2 sqq. Quae quidem omnia ex Caecilio fluxisse patet.

Etiam Dionysius Halicarnassensis nomine ἀλλοιώσεως has ἐναλλάξεως formas comprehendere videtur, (de comp. verb. 6), atque sicut Alexander et Tiberius Thucydidem potissimum in illis excellere dicit. (cfr. de Thucyd. iud. 24) et similia exhibet in epistola altera ad Ammaeum missa (cfr. e. 2); praeterea vero quae Dionysius in epist. ad. Amm. II, 7, 8 docet, congruunt cum Alexandri verbis, Sp. III, p. 34 citatis. Itaque etiam hoc loco magna ex parte Dionysius et Caecilius consentiunt.

Sub finem vero huius de ἀλλοιώσεως figuris disputationis notandum est Aristidem sub figura ἀποστροφῆς idem proferre exemplum, quod Ps. Longinus Alexander Tiberius sub προσώπων μεταβολῆς vel ἀλλοιώσεως figura exhibent, cfr. Sp. II, p. 494: σφοδρότητα δὲ ἔχει καὶ τὸ τῆς ἀποστροφῆς σχῆμα, ὡ μιαρώτατε πάντων, κεκλεισμένης σοι τῆς παρρησίας — κ. τ. λ. Sed etiam apud Dionysium Hal. pro προσώπων μεταβολῇ vel ἀλλοιώσει formam προσώπων ἀποστροφήν invenimus (cfr. de Thucyd. iud. 24).[1] Atque similiter Alexander sub ἀποστροφῇ hanc praebet definitionem: ἀποστροφὴ δ' ἐστίν, ὅταν πρόσωπον ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου αἰτιώμεθα.

Atque Ps. Longinus similem quidem praebet locutionem in ἐνναλάξεως figuris: ἐναγωνίως δ' ὁμοίως καὶ ἡ τῶν προσώπων ἀντιμετάθεσις. hinc vero suspicari ausim Caecilium inter ἀλλοιώσεως species etiam ἀποστροφήν tractasse.

---

[1] Apud Herodianum (Sp. rhett. Gr. III, p. 88,28) idem nobis occurrit: ἡ δὲ τῶν προσώπων μετάβασις ποιεῖ τὴν καλουμένην ἀποστροφήν.

Sed transeamus ad figuram μεταβολήν, quam primum apud Aristotelem invenimus, qui sub hoc nomine variationem vel mutationem intellegit (cfr. π. ῥητ. I, 12; III, 12), sed nondum proprie ille hoc verbo usus esse videtur.

Apud Dionysium Hal. saepius μεταβολή nobis occurrit, quam mutationem vel variationem interpretatur, ut de comp. verb. 19, ubi agit de rythmi, metri, figurarum mutatione, qua orationis compositio iucunda atque elegans fit (cfr. de Isocr. iud. 4). Sed ne ipse quidem plane proprie verbum μεταβολήν adhibuit. Apud Caecilium quidem hoc nomen μεταβολή prorsus aliam significationem habet. Quintilianus enim, postquam (inst. or. IX, 3/37) πολύπτωτον, quod schema modo casibus fiat, tractavit et exposuit etiam aliis modis fieri — sequitur hoc loco exemplum, quo non solum casus sed etiam pronomina varia ponuntur — haec addit (inst. or. IX, 3/38): «hanc rerum coniunctam diversitatem Caecilius μεταβολήν vocat.» Inde vero discimus Caecilium primum μεταβολήν a πολυπτώτῳ distinxisse atque hac peculari notione illa usum esse. Nunc vero apud seriptorem π. ὕψ. hanc voçem eodem sensu adhibitam invenimus, p. 38, 26; aliis locis ut p. 9, 12; 36, 22; 60, 5 μεταβολή non proprie usurpatur, atque ibi haec vox significat mutationem vel variationem. Sed p. 38, 26 πολύπτωτα, ἀθροισμοὺς καὶ μεταβολὰς καὶ κλίμακας vehementissimas vocat figuras, quae maxime valeant ad sublimitatem efficiendam. Cum igitur apud Caecilium primum hanc figuram a πολυπτώτῳ distinctam invenimus, certe dubium non est, quin Ps. Longinus hic tacite Caeciliana tradat, quod quidem valde confirmatur, si Alexandrum et Tiberium afferimus. Atque Alexander quidem post πολύπτωτον tractat figuram μεταβολῆς, quae artissime

cum illo cohaeret. sic vero eum definit (Sp. rhett. Gr. III, p, 35, 5 sqq.): ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος ⟨μεταβολῆς⟩ μετάθεσις μορίων ὅλων γίνεται καὶ καθ' ἕκαστον κῶλον ἢ κόμμα. — — Tiberius vero haec praecipit (Sp. III, p. 76, 30 sq.): μεταβολὴ δ' ἔστιν, ὅταν μὴ τὰς πτώσεις μόνον ἀλλὰ καὶ τὰ ῥήματα μεταβάλλῃ, quae quidem verba non abhorrent a Quintiliano. Exemplum autem ad hanc figuram illustrandam ab Alexandro et Tiberio e Demosthene ductum idem est:

Alex. (Sp. III, 35,7)	Tib. (Sp. III, 77)
τίς γὰρ συμμαχία σου πράξαντος γέγονε τῇ πόλει . . . . . ποῖαι τριήρεις — ποῖοι νεώσοικοι; τίς ἐπισκευὴ τειχῶν; ἢ ποῖον ἱππικόν, κ. τ. λ.	τίς γὰρ συμμαχία σοῦ πράξαντος γέγονε τῇ πόλει; ποῖαι τριήρεις; ποῖοι νεώσοικοι; τίς ἐπισκευὴ τειχῶν; ποῖον ἱππικόν;

Itaque apertum est utrumque hic a Caecilio pendere.

His statim adnectam disputationem de figura περιφράσεως, de qua Ps. Longinus fusius agit p. 42, 22-44, 5. Atque p. 42, 22 sq. exponit scriptor π. ὕψ. ad sublimitatem efficiendam multum valere περίφρασιν eamque saepe tamquam sono adiuvare verborum proprietatem et plerumque sonando puchritudinem augere — Deinde ostendit Platonem potissimum usu huius figurae excellere atque adeon onnumquam intempestive ea usum esse, cfr. π. ὕψ. p. 43, 22: ὅθεν καὶ τὸν Πλάτωνα — δεινὸς γὰρ ἀεὶ περὶ τοῦτο[1] τὸ σχῆμα κἄν τισιν ἀκαίρως — διαχλευάζουσιν, ὡς — —

Qui vero ita Platonem irriserint, non ignoramus.

---

[1] π. ὕψ. p. 44,1 cod. Paris. hanc praebet lectionem: δεινὸς γὰρ ἀεὶ περὶ τὸ σχῆμα — rectissime vero hic Tollius coniecit: περὶ τοῦτο τὸ σχῆμα.

Dionysius Hal. enim ad. Cn. Pomp. de Platone, 2, ita iudicat de philosopho celeberrimo: ἐκχέεται (sc. Πλατωνικὴ διάλεκτος) εἰς ἀπειροκάλους περιφράσεις, πλούτου ὀνομάτων ἐπιδεικνυμένη κενόν (cfr. etiam de Demosth. 5,

Iam inde suspicari ausim Ps. Longinum verbis supra prolatis ad Caecilium inprimis spectare. Certo vero constat Caecilium de περιφράσεως figura egisse. Quintilianus enim, qui saepius de hac figura disserit, (ut inst. or. VIII. 6 60. 61 [1]) impugnans eos qui περίφρασιν figuram dixerint,[2] praecipue Caecilium in mente habet, qui quidem, ut ex inst. or. libro IX. 397 apparet, περίφρασιν in verborum figuris posuit. Fabius enim, postquam de ἐπανόδῳ, ἀναλήψει et ἀντιμεταβολῇ locutus est, ita pergit: «adicit his Caecilius περίφρασιν.»

Quae vero Ps. Longinus in disputatione de περιφράσεως figura de prooemio Platonis orationis funebris (Menex. p. 236 D) exponit p. 43, 3 sqq., plane quidem cum Dionysii verbis congruunt (cfr. de comp. verb. 18. de Demosth. 24). Cum iam inde suspicari liceat scriptorem π. ὕ. hic Caecilium esse secutum, qui hac in re ut in permultis aliis cum Dionysio consensisse videtur, haec suspicio valde confirmatur, si Alexandrum Tiberiumque adibimus; utrumque enim hic ex Caecilio sua hausisse persuasum mihi est.[3] Atque idem exemplum exhibent ad hanc figuram illustrandam.

---

[1] «Pluribus autem verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, periphrasin vocant, circumitum quendam eloquendi.»

[2] cfr. inst. or. IX 1, 3: «περίφρασιν autem et ὑπερβατόν et ἐνοματοποιίαν clari quoque auctores figuras verborum potius quam tropos dixerint.»

[3] cfr. etiam Morawski, l. c. p. 46.

Alex. (Sp. III, 32,10 sqq.)

καὶ παρὰ Δημοσθένει, ἀλλ' ἁπλῶς οὕτως ἠτίμωται τῇ ῥύμῃ τῆς ὀργῆς καὶ τῆς ὕβρεως τῆς Μειδίου, γέγονε δὲ ὁ λόγος καὶ ὑψηλότερος καὶ πλείονα ἔμφασιν ἔχων κατὰ τὴν περίφρασιν, ἢ εἰ οὕτω ῥηθείη, ἠτίμωται ὑπὸ Μειδίου.

Tib. (Sp. III, 75,30 sq.)

οἷόν ἐστι τὸ Δημοσθενικόν, ἠτίμωται τῇ ῥύμῃ τῆς ὀργῆς τῇ Μειδίου.

τὸ γὰρ ἁπλοῦν ἦν· ἠτίμωται ὑπὸ Μειδίου.

atque III, 32,8 :

οἷον βίῃ Ἡρακλείῃ.

atque III, 76,5 :

οἷον παρὰ μὲν Ὁμήρῳ· βίῃ Ἡρακλείῃ, ἀντὶ τοῦ Ἡρακλέος.

Atque definitio, quam praebent Alexander (Sp. rhett. Gr. III, p. 32, 6 sqq.) et Tiberius (Sp. rhett. Gr. III, p. 75, 26 sqq.) sane non abhorret a Ps. Longini verbis (cfr. π. ὕψ. p. 42, 22 sqq.); praeterea vero idem exemplum ex Herodoto ductum apud Ps. Longinum et Tiberium invenimus :

π. ὕψ. p. 43,18 sq. :

καὶ τὸ ἀμίμητον ἐκεῖνο τοῦ Ἡροδότου· 'τῶν δὲ Σκυθῶν τοῖς συλήσασιν τὸ ἱερὸν ἐνέβαλεν ἡ θεὸς θήλειαν νοῦσον'.

Tib. (Sp. III, 76,11) :

παρὰ δὲ Ἡροδότῳ, 'ἐνέσκηψεν ἡ θεὸς θήλειαν νόσον'.

Itaque non iam dubito, quin Ps. Longinus in hac figura tractanda a Caecilio pendeat.

Hanc περιφράσεως figuram Alexander et Tiberius[1] inprimis Thucydidi vindicant, atque similem in modum Dionysius Hal. (iud. de Thucyd. 24) inter σχήματα quibus Thucydides potissimum prae ceteris excelluerit, praecipue περίφρασιν affert.

---

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 32 et 76.

Postremo agendum est de ὑπερβατῷ.

Hanc quidem figuram iam apud Anaximenem invenimus (cfr. τεχ. ρητ. 30),[1] qui nondum proprie illa usus esse videtur: in praeceptis quidem de narratione bene instituenda monet, ne ὑπερβατῶς, id est interrupto orationis vel verborum ordine, illa fiat. Cornificius deinde in rhetorica ad Herennium quae fertur (lib. IV, 32/44) hanc figuram ὑπερβατοῦ, quam inter verborum «exornationes» enumerat, transgressionem vocat, qua verborum ordo perturbetur «perversione aut transiectione». Dionysius quidem Halicarnassensis ὑπερβατόν dicit perturbationem naturalis verborum structurae (cfr. de Thucyd. iud. 31) atque inprimis Thucydidi eam attribuit, cfr. Epist. ad Amm. II, ubi agitur de iis variationibus: ἐξ ὧν ἡ κατὰ φύσιν ἀκολουθία πλανᾶται.

Ps. Longinus copiose de hac ὑπερβατοῦ figura disputat, π. ὕψ. p. 37, 7-38, 25. Atque secundum scriptorem π. ὕψ. τὰ ὑπερβατά constant perturbatione consueti et simplicis verborum ordinis ac sententiarum et habent velut notam certissimam vehementioris adfectus. Novum autem, quod in Ps. Longini definitione invenimus, in eo positum esse videtur, quod scriptor π. ὕψ. dicit fieri hanc perturbationem vel transgressionem in λέξει atque νοήσει. Atque sicut Dionysius Hal. etiam Ps. Longinus dicit inprimis Thucydidem excellere hac figura adhibenda, cfr. π. ὕψ. p. 38, 10 sqq.: ἔτι δὲ μᾶλλον (scil. τοῦ Ἡροδότου) ὁ Θουκυδίδης καὶ τὰ φύσει πάντως ἡνωμένα καὶ ἀδιανέμητα ὅμως ταῖς ὑπερβάσεσιν ἀπ' ἀλλήλων ἄγειν δεινότατος.

Nunc vero videamus, quae Caecilius de hac figura docuerit. Atque ex Quintiliano intellegimus Caecilium

---

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. I. 219.

ὑπερβατόν λέξεως σχῆμα habuisse, cum ipse inter tropos illam ponat. Magna enim eum probabilitate Burckhardtius (l. c. p. 41) observasse videtur Quintiliani verba, inst. or. IX, 3'23 prolata ad. Caecilium potissimum spectare: «cui (sc. παρενθέσει, παρεμπτώσει, quae sunt alia παρεμβολῆς nomina) adiciunt hyperbaton, quod inter tropos esse noluerunt.» Quae Burckhardtii suspicio plane comprobatur inst. or. IX, 1/3 ubi haec dicuntur: περίφρασιν autem et ὑπερβατόν et ὀνοματοποιίαν clari quoque auctores figuras verborum potius quam tropos dixerint», quibus quidem verbis inprimis ad Caecilium spectare Quintilianum iam supra exposuimus (cfr. p. 33). Atque παρεμβολήν tamquam verborum figuram Caecilius primum adhibuisse videtur, velim conferas Tiberium (Sp. rhett. Gr. III, p. 81, 23): καὶ τὴν παρεμβολὴν εἰσάγει Καικίλιος σχῆμαλέξεως — παρεμβολήν vero artissime cum ὑπερβατῷ cohaerere etiam Alexander Num. indicat (Sp. rhett. Gr. III, p. 39, 13): τοῦτο τὸ σχῆμα (sc. παρεμβολὴ) παρακεῖσθαι μὲν δοκεῖ τῷ ὑπερβατῷ. Inde vero coniecerim Caecilium primum tam subtiliter ὑπερβατόν a παρεμβαλῇ distinxisse atque inter verborum figuras posuisse.

Quintilianus vero, qui loco supra prolato expressis verbis contenderat se inter tropos ὑπερβατόν ponere, minime sibi constat; nam alio loco (inst. or. VIII, 6/67) concedit, cum structura sola varietur, ὑπερβατόν figuram potius verborum dici posse «sicut multi existimaverunt».[1]

Etiam Alexander et Tiberius inter verborum figuras ὑπερβατόν ponunt (Sp. rhett. Gr. III, p. 38. 74), atque pariter Ps. Longinus illam figuram τῆς λέξεως σχήμασιν addicit;

---

[1] Praeterea conferas inst. or. IX, 4, 27: «ὑπερβατόν — inter tropos vel figuras receptum est.»

definitionem deinde, quam praebet scriptor π. ὕψ. non multum quidem recedit ab Alexandro et Tiberio: ἔστιν δὲ λέξεων ἢ νοήσεων ἐκ τοῦ κατ' ἀκολουθίαν κεκινημένη τάξις (π. ὕψ. p. 37, 7 sq.), deinde: τὴν ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν εἱρμοῦ παντοίως — ἐναλλάττουσι τάξιν (π. ὕψ. p. 37, 16 sq.). Atque praecipue verba: τὴν ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν — τάξιν Caeciliana esse videntur, velim conferas definitionem τοῦ σχήματος a Caecilio et Ps. Longino prolatam. Quae quidem omnia me adducunt, ut putem, quae scriptor π. ὕψ. de ὑπερβατῷ praescripserit, ex Caecilio fluxisse.

II.

Sequitur, ut de ceteris terminis technicis rhetoricis disputemus, qui praeter figuras nobis in libello de sublimitate occurrunt; ex his vero eos tantum tractemus qui pertinent ad nostram quaestionem atque magni sunt momenti in technologia rhetorica.

Iam vero praemittam, in hac quidem disputationis nostrae particula minus certo demonstrari posse, quae hic Ps. Longinus ex Caecilii commentario sumpserit, quia Calactini π. ὕψους libro deperdito non multa quidem habemus, unde intellegi licet, quae hic Caecilius docuerit.

Initium vero cum faciamus ab orationis partibus,[1] primum disputemus de voce ἀγών vel ἀγῶνες.

---

[1] Jam vero, si fides habenda est, quae tradita sunt in prolegg. τῆς Ἑρμογένους ῥητορικῆς (cfr. Walzii rhett. Gr. IV, p. 12), Corax inventor omnis artis rhetoricae orationem in has divisit partes: προοίμια, διηγήσεις, ἀγῶνας, παρεκβάσεις, ἐπιλόγους; atque haec de ἀγῶνες docentur: ἀγῶες δὲ . ἔνθα παράγοι δι' ἐναργῶν ἀποδείξεων ὁ ἐπιδεικνύμενος, ὅτι ἀληθεύει. Sed dubitari potest, num re vera Corax illa de ἀγών praeceperit.

Iam apud Anaximenem[1] hoc nomen significat orationes vel causas cum contentione agendas. Apud Aristotelem deinde ἀγῶνες notionem habent orationum forensium, contentionum, cfr. π. ῥητ. I, 12, ubi haec legimus: αὐτοὶ δ' οἴονται δυνατοὶ εἶναι μάλιστα ἀζήμιοι ἀδικεῖν — — οἱ πρακτικοὶ καὶ οἱ ἔμπειροι πολλῶν ἀγώνων (cfr. praeterea π. ῥητ. III, 1. 12. 13. 18). Dionysius Hal. hunc terminum eodem usurpat sensu, velut in epist. ad Amm. I, 12: Δημοσθένους ἀκμάζοντος ἤδη καὶ τοὺς ἐμφανεστάτους εἰρηκότος ἀγῶνας. κ. τ. λ. (cfr. praeterea de Isocr. iud. 2).

In libro π. ὕψ. ἀγών saepissime usurpatur, atque p. 23, 7 significat contentiones, p. 27, 20 vero ἀγών est vis oratoria vel oratio plena motus, synonymon enim ponitur τῷ ὄγκῳ et μεγαληγορίᾳ; similem deinde notionem habet p. 41, 8: ἀγῶνος ἔμπλεων. Eadem quidem vis huic vocabulo subiecta est apud Demetrium in libro π. ἑρμηνείας, 271 (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 320), ubi haec de verborum figuris dicuntur: καθόλου δὲ τῆς λέξεως τὰ σχήματα καὶ ὑπόκρισιν καὶ ἀγῶνα παρέχει τῷ λέγοντα, μάλιστα τὸ διαλελυμένον, τουτέστι δεινότητα.

Cum hac locutione artissime cohaerent ἀγωνιστικόν et ἐναγώνιον.

Atque ἀγωνιστικόν primum apud Aristotelem invenimus, ubi significat contentiosum; π. ῥητ. I, 5 inter alias orationis virtutes ponit δύναμιν ἀγωνιστικήν, id est facultas disceptandi. π. ῥητ. III, 12 significat genus dicendi contentiosum in concione et in causis publicis adhibitum atque opponitur τῇ γραφικῇ (sc. λέξει), ἀγωνιστικὴν λέξιν dicit ὑποκριτικωτάτην et παθητικήν.

Eadem vero notione ἀγωνισπκόν invenitur in libro

---

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 239.

π. ὕψους, velut p. 38, 14. 27, ubi significat contentiosum dicendi genus, quod etiam παθητικόν vocatur.[1]

Ἐναγώνιον invenimus apud Demetrium, περὶ ἑρμηνειάς, 193 (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 304): ἐναγώνιος μὲν οὖν ἴσως μᾶλλον ἡ διαλελυμένη λέξις, αὕτη καὶ ὑποκριτικὴ καλεῖται · κινεῖ γὰρ ὑπόκρισιν ἡ λύσις . γραφικὴ δὲ λέξις ἡ εὐανάγνωστος. Itaque cum statuimus auctorem libri de elocutione Augusti temporibus esse adsignandum, veri est simile hanc vocem his fere temporibus proprie in arte rhetorica adhibitam fuisse. Congruunt vero, quae Demetrius de hoc nomine docet, cum Aristotelis praeceptis de ἀγωνιστικῷ: uterque enim ἀγωνιστικῷ vel ἐναγωνίῳ τὴν γραφικὴν λέξιν opponunt. Quod vero de aetate huius vocis ἐναγωνίου statuimus, comprobari videtur eo, quod etiam apud Dionysium Halicarnassensem usurpatur. Hic enim in cens. scriptt. vet. III, 2 τὸ ἐναγώνιον synonymon ponit τῷ στρογγύλῳ, πυκνῷ et εὐτόνῳ, atque Lysiae potissimum illud vindicat in iud. de Isocr. 2; hoc quidem loco hoc nomen opponitur σεμνότητι πομπικὴ καὶ ποικίλῃ Ἰσοκράτους. Praeterea quidem (de Thucyd. iud. 23) exponitur τὸ ἐναγώνιον efficere δεινότητα (cfr. etiam de comp. verb. 19).

In libro π. ὕψ. persaepe haec locutio nobis occurrit eadem fere significatione qua apud Demetrium et Dionysium. Π. ὕψ. p. 17, 14/15. Ilias appellatur σωμάτιον δραματικὸν καὶ ἐναγώνιον atque opponitur τῷ διηγηματικῷ; in eo tantum Ps. Longinus a Demetrio recedit, quod pro ὑποκριτικῷ et γραφικῷ adhibet δραματικόν et διηγηματικόν, quae quidem idem valent. Sin autem et ex consensu, qui apparet inter Demetrium Dionysium et ex aetate, qua primum haec vox adhibita esse videtur a rheto-

[1] Apud Aristidem (III, 759 D.) et Hermogenem (Sp. II, 304,13) ἀγωνιστικὸν λόγος sicut δικανικὸν λόγος est causa iudicialis.

ribus, aliquid concludi licet, id quidem inde elucere videtur nomen ἐναγώνιον ab Atticistis primum usurpatum fuisse. Neque vero suspicari ausim etiam Caecilium hoc verbum usurpasse atque Ps. Longinum illum secutum esse.

Nunc venimus ad γένη τῆς ῥητορικῆς. Inprimis hic verbum ἐγκωμιαστικόν tractandum est.

Hanc vero vocem primum apud Anaximenem invenimus, qui inter εἴδη τῶν γενῶν τ. πολιτικῶν λόγων ἐγκωμιαστικόν ponit, cui vis inest demonstrativi vel laudativi, cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 174: δύο γένη τῶν πολιτικῶν εἰσι λόγων τὸ μὲν δημηγορικὸν, τὸ δὲ δικανικόν, εἴδη τούτων ἑπτά · προτρεπτικὸν ἀποτρεπτικὸν ἐγκωμιαστικὸν ψεκτικὸν κατηγορικὸν ἀπολογητικὸν καὶ ἐξεταστικόν. Inde quidem patet Anaximenem duo tantum orationum genera statuisse, genus iudiciale et contionale,[1] quod etiam Quintilianus confirmat (cfr. inst. or. III, 4/9). Ἐγκωμιαστικόν igitur apud Anaximenem nondum significat genus orationis sed εἶδος tantum (cfr. preterea Sp. I, p. 186). Manifesto vero apparet Lampsacenum rhetorem iam intellexisse ἐγκωμιαστικόν et ψεκτικόν non bene subiungi posse τῷ δημηγορικῷ vel δικανικῷ; nam illa εἴδη semper separata tractat, ita ut facile cognoscas, nomen tantum illi defuisse ad complectendum ἐγκωμιαστικόν et ψεκτικόν sub uno nomine.

Aristoteles igitur primus videtur rhetorices tria genera constituisse: συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν (π. ῥητ. I, 3), sed ἐγκωμιαστικόν non praebet.

Haec vox apud Stoicos demum philosophos genus orationis significat.[2] Atque Stoici quidem Diogene Laertio auctore rhetoricam tripartitam esse voluerunt

---

[1] Qua de re conferas. L. Spengel, τεχνῶν συναγωγή, p. 183 sqq.

[2] cfr. Striller, l. c. p. 31, et Volkmann, l. c. p. 21.

(l. VII, 42): καὶ τὴν μὲν ῥητορικὴν αὐτὴν εἶναι λέγουσι τριμερῆ· τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς εἶναι συμβουλευτικόν, τὸ δὲ δικανικόν, τὸ δὲ ἐγκωμιαστικόν. atque eandem Stoicorum ῥητορικῆς partitionem tradit Sex. Empiricus (cfr. adv. rhet. 89, p. 692 B). Neque dubium est, quin Quintilianus (inst. or. III, 3/14) Stoica referat: «partes enim rhetorices esse dicebant laudativam, deliberativam, iudicialem». nam paulo ante Fabius dixerat, eosdem (sc. Stoicos) propterea partes appellare, quod inventionem et dispositionem et cetera opera oratoris aut rhetoricae vocaverint. Stoici igitur primi ἐγκωμιαστικόν pro ἐπιδεικτικῷ[1] γένει adhibuisse videntur. Dionysius Hal. has ῥητορικῆς genera ponit (cfr. π. ῥητ. VIII, 4): ἀπὸ πασῶν ἰδεῶν τῆς ῥητορικῆς, συμβουλευτικῆς, δικανικῆς, πανηγυρικῆς, qua in re id quidem notandum est Dionysium hic dicere ἰδέας ῥητορικῆς. Sed pro παντηγυρικῇ etiam ἐγκωμιαστικήν exhibet, π. ῥητ. VIII, 8. 9, atque porro haec dixit: δείκνυσιν (sc. Θουκυδίδης) ὅτι πρεσβύτερον ἦν τῷ ῥήτορι τὸ τῆς συμβουλῆς τοῦ ἐγκωμιαστικοῦ λόγου.

Nunc vero ἐγκωμιαστικόν etiam apud scriptorem π. ὕψ. invenimus. p. 11, 23 ἐγκωμιαστικόν idem valet atque ἐπαινετικόν et ἐπιδεικτικόν.

Atque vidimus quidem Stoicos primos proprie adhibuisse nomen ἐγκωμιαστικόν pro ἐπιδεικτικῷ, itaque non dubito, quin Dionysius Stoicorum vestigia hic secutus sit. Iam vero supra ostendimus Dionysium aeque ac Caecilium saepe Stoicorum vestigia pressisse atque vidimus Ps. Longinum quidem cum Stoicis et Dionysio consentientem sua ex Caecilio haurire. Quae cum ita sint, etiam hic coniecerim scriptorem π. ὕψ. Caecilium secutum esse. Utrum etiam Quintilianus

---

[1] Theon, progymnasmata (Sp. rhett. Gr. II, p. 61): ἐγκωμιαστικόν, ὅπερ ἐκάλουν ἐπιδεικτικὸν οἱ περὶ τὸν Ἀριστοτέλην.

hic a Caecilio potius pendeat an Stoicos sequatur diiudicare nolo. Hic enim (inst. or. III, 4/12. 13) cum exponit rhetores idem genus «quo laus ac vituperatio continetur» modo laudativum modo demonstrativum vocare pro graeco ἐγκωμιαστικῷ aut ἐπιδεικτικῷ, discrimen ponit inter haec nomina: «mihi ἐπιδεικτικόν non tam demonstrationis vim habere quam ostentationis videtur et multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre.»

Etiam Aristides rhetor haec tria genera cognovit, τεχ. ῥητ. I (Sp. rhett. Gr. II, p. 502): αἱ μὲν γάρ εἰσιν (sc. ὑποθέσεις) ἐγκωμιαστικαί, αἱ δὲ συμβουλευτικαί, αἱ δὲ δικανικαί (cfr. praeterea Sp. II, 503), atque in sequentibus accuratius de voce ἐγκωμιαστικῷ disputat, cui ἐπιδεικτικόν synonymon ponit.

Restat nunc, ut quaestionem instituam de vocabulo φαντασία,[1] quod saepius nobis occurrit in libello de sublimitate. Vestigia huius verbi iam apud Aristotelem invenimus, ubi habet vim visionis (π. ῥητ. II, 2).

Ps. Longinus copiose de hac voce disputat p. 27, 20—31, 14. φαντασίας quam plurimum valere dicit ad sublimitatem efficiendam (p. 27, 20 sq.): ὄγκου καὶ μεγαληγορίας καὶ ἀγῶνος καὶ αἱ φαντασίαι παρασκευαστικώταται. Definitionem huius nominis hanc praebet hic scriptor: καλεῖται μὲν γὰρ κοινῶς φαντασία πᾶν τὸ ὁποσοῦν ἐννόημα γεννητικὸν λόγου παριστάμενον . ἤδη δ' ἐπὶ τούτων κεκράτηκε τοὔνομα, ὅταν ἃ λέγεις ὑπ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ πάθους βλέπειν δοκῇς καὶ ὑπ' ὄψιν τιθῇς τοῖς ἀκούουσιν (π. ὕψ. p. 28, 1 sqq.). Itaque φαντασία vulgo significat, quodvis cogitatum in mente ita sit, ut verba efficiat, plerumque vero peculiarem habet vim. Definitionem vero, quam Stoici de verbo ἐννοήματι prebent, haud valde distat ab iis quae

[1] Accuratius de hoc nomine disputavit Fr. Striller, l. c. p. 56 sq.

Ps. Longinus de φαντασίᾳ exponit. Stoici enim[1] ἐννόημα dicunt φάντασμα διανοίας, vocem vero φαντασίαν sic interpretati sunt (Diog. L. VII, 45): τὴν φαντασίαν εἶναι (sc. στωϊκοί φασιν) τύπωσιν ἐν ψυχῇ, τοῦ ὀνόματος οἰκείως μετενηνεγμένου ἀπὸ τῶν τύπων ἐν τῷ κηρῷ ὑπὸ τοῦ δακτολίου γινομένων.

Ex Sexto quidem Empirico, qui eandem Stoicorum definitionem tradit, adv. math. VII, 28, p. 372 B., intellegimus Chrysippum[2] pro τυπώσει etiam dixisse ἀλλοίωσιν vel ἑτεροίωσιν.

Proxime igitur ad ἐννόηματος notionem supra prolatam accedunt, quae Stoici de φαντασίᾳ καταληπτικῇ docent — distinguunt enim inter φ. καταληπτικάς et ἀκαταλήπτους — nam ea quoque φαντασία dicitur quam concipimus re, qua excitatur non praesente.

Scriptor π. ὕψ. deinde distinguit oratoriam et poeticam φαντασίαν (p. 28, 5 sqq.), atque poeticae quidem τέλος ἐστὶν ἔκπληξις, oratoriae autem τέλος ἐστὶν ἐν λόγοις ἐνάργεια. Quae quidem verba aperte sane Stoicorum[3] doctrinam nobis ostendunt, atque inprimis quae Ps. Longinus de φαντασίᾳ exponit, ut supra vidimus; attamen cum Strillero dicere nolim, in definitione Ps. Longini omnia optimo congruere cum praeceptis, quae de φαντασίᾳ protulerint Stoici (l. c. p. 58). Vidimus enim scriptorem π. ὕψ. in praeceptis, quae de hoc nomine profert atque in ipsa definitione sane recedere a Stoicorum verbis supra exhibitis; itaque apertum est, non arte cohaerere inter se et Stoicos et

---

[1] cfr. Diog. Laert. VII, 61.

[2] velim conferas de Chrysippi definitione Plutarchum, de plac. philos. IV, 12 et Diogenem Laert. VII, 50.

[3] Striller ἔκπληξιν Stoicorum potissimum propriam esse ostendit, apud quos idemest ac φόβος ἐξ ἀσυνήθους φαντασίας (cfr. Diog. L. VII, 112, Stob. anth. II, p. 92 W.).

Ps. Longinum. At in exemplis ad hoc nomen illustrandum prolatis prorsus Stoici et Longinus inter se consentiunt, exemplum enim scriptoris π. ὕψ. ex Euripides Oreste ductum (π. ὕψ. p. 28, 9 sqq.):

ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πισειέ μοι
τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας·
αὗται γάρ, αὗται πλησίον θρώσκουσί μου.

etiam apud Plutarchum invenimus, cum Stoicorum definitionem τῆς φαντασίας affert (cfr. de plac. philos. IV, 12); unum quidem horum versuum etiam S. Empiricus Epicureos hic secutus affert (adv. math. VIII, 57). Eundem deinde eiusdem fabulae versum, quem Ps. Longinus p. 30, 18 exhibet:

μέθες, μί' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐρινύων

etiam apud S. Empiricum (adv. matth. VII, 249) invenimus, ubi de Stoicorum φαντασίαις ἀκαταλήπτοις disputat.[1]

Sub finem vero disputationis de φαντασίᾳ scriptor π. ὕψ., cum exponit, quae sit vis ῥητορικῆς φαντασίας, dicit eam multiplici modo orationem vehementem et concitatam reddere, sed mixtam argumentationibus rhetoricis non persuadere illam auditoribus verum etiam eos subiungere. Priusquam vero exponamus, quae ratio hac in re inter Ps. Longinum et Stoicos intercedat, afferamus quae Dionysius Halicarnassensis de hoc nomine docet. Hic enim copiose disputat de φαντασίᾳ, quam etiam ἐκφράσεις dicit, π. ῥητ. X, 17, ubi exponit τὴν φαντασίαν velle τὰς ὄψεις τῶν ἀναγκαίων τοῖς ἀκούουσιν παράγειν, deinde

[1] cfr. praeterea S. Emp. adv. math. VIII, 63, quo loco de Epicureorum doctrina de εἰδώλοις agitur.

ostendit poetas et historicos atque rursus rhetores hic differre: οἱ μὲν ποιηταὶ καὶ ἱστορικοὶ τὰ συμβεβηκότα τόποις τισὶ καὶ προσώποις ἐκτυποῦσιν, ὡς ἐγένετο · οἱ δὲ μελετῶντες ῥήτορες οὐκ ἔχοντες ὁμολογουμένην, οὐδὲ ἰδίαν, τὴν τῶν πραγμάτων ἰδέαν, αὐτοῖς ἀναπλάττουσιν ὄψεις. Atque velut apud Ps. Longinum pro φαντασία eodem fere sensu etiam ἐνάργειαν adhibitam iam supra invenimus (π. ὕψ. p. 28. 7), sic etiam Dionysius ἐνάργειαν, id est evidentiam vel perspicuitatem vel illustrationem usurpat, atque definitio, quam rhetor Halicarnassensis de nomine ἐναργεία praebet, plane congruit cum iis quae scriptor π. ὕψ. de φαντασία praescribit — conferas praeterea de Lys. iud. 7: ἔχει δὲ καὶ τὴν ἐνάργειαν πολλὴν ἡ Λυσίου λέξις . αὕτη δέ ἐστι δύναμίς τις ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις ἄγουσα τὰ λεγόμενα, γίνεται δὲ ἐκ τῆς τῶν παρακολουθούντων λήψεως — τὰ δηλούμενα ὡς γινόμενα ὁρᾶν καὶ ὥσπερ παροῦσιν, οἷς ἂν ὁ ῥήτωρ εἰσάγῃ.

Hic vero notandum est Epicureos, quos iam supra cum Stoicis in voce φαντασία interpretanda consensisse vidimus, φαντασίαν ipsam ἐνάργειαν appellare.[1]

His ita explanatis atque consensu inter Ps. Longinum et Stoicos et rursus inter Ps. Longinum et Dionysium perspecto cum Strillero facere non possum, qui putat scriptorem libelli de sublimitate hic Stoicos secutum esse, sed credere malim etiam hac in re Ps. Longinum a Caecilio pendere, praesertim cum ille a Stoicis et Dionysio aliquantum recedat; nam Caecilium in commentario suo π. ὕψ. de φαντασία copiose disputasse in promptu est. Quae quidem opinio comprobari mihi videtur Quintiliani verbis, hic enim (inst. or. VI, 2[29]) φαντασίας visiones vocat, «per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur:

[1] cfr. S. Emp. adv. math. VII, 203; VIII, 65.

has quisque bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus» — quae verba sane non abhorrent a Ps. Longini dictis atque Dionysii. Huc accedit etiam, quod Fabius voce ἐναργείᾳ similiter utitur atque φαντασίᾳ (cfr. inst. or. VI, 2/32).

Ultimo loco mihi reservavi quaestionem de verbo πολιτικῷ, quod in technologia rhetorica aliis temporibus prorsus aliam habuit vim: aliud enim valet apud Anaximenem atque aliud apud Aristidem et Hermogenem. Qua de voce apud Cressolium (theatr. rhet. I, 3) haec legimus: «omnis varietas significationum, quas illi voci a rhetoribus graecis attributas reperimus, iis potissimum rebus nititur, quarum cogitatio cum nomine πόλεως apud Graecos coniunctissima esse solebat» et q. s.

Atque primum quidem nomen πολιτικόν proprie usurpatum nobis occurrit apud Anaximenem in τεχ. ῥητ. 1 (Sp. rhett. Gr. I, p. 174): δύο γένη τῶν πολιτικῶν εἰσι λόγων — ubi πολιτικός λ. valet causam vel orationem civilem, atque ibidem (Sp. I, 179) πολιτικὴ κατασκευή.

Apud Aristotelem invenimus πολιτικοὺς ἀγῶνας (π. ῥητ. I, 18), id est orationes civiles vel civiles contentiones, ibidem I, 1: καλλίονος καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης ἢ τῆς περὶ τα συναλλάγματα. Sed in libro π. ποιητικῆς 6, τὸ πολιτικῶς λέγειν opponitur τῷ ῥητορικῶς λέγειν. Stoici deinde hunc terminum amplius excoluerunt atque peculiarem vim illi attribuerunt. Quae vero Stoici philosophi de hoc vocabulo docuerint, optime cognoscas ex Hermagora Temnio, cuius praecepta rhetorica maxime potissimum nobis servavit Aur. Augustinus,[1] qui haec tradit de πολιτικῷ: «Hermagoras dicit esse oratoris officium persuadere, quatenus rerum

[1] cfr. Rhetores Latini min. ed. Halm, p. 137 sqq.

et personarum condicio patitur, dumtaxat in civilibus quaestionibus. Nam medicorum et philosophorum et ceterae huiusmodi quaestiones extra regulam civilem quam πολιτικήν Graeci vocant, conlocantur.

Sunt autem questiones civiles (πολιτικὰ ζητήματα), quarum perceptio in communem animi conceptionem potest cadere, quod Graeci κοινὴν ἔννοιαν vocant — — Questiones quae κοινῇ ἐννοίᾳ deprehendi possunt, civiles vocantur.»

Idem nos docent Stoicorum sectatores Fortunatianus et Sulp. Victor.[1]

Atque Sulp. Victor haec dicit: «civilis quaestio — quae nullius artis propria in communi omnium opinione versatur.» Posteriores vero artis scriptores fere omnes hac in re Stoicorum secuti sunt auctoritatem.

Cicero quidem, apud quem saepius hanc vocem invenimus, varie illa usus est. De finibus V, 23/66 valet «civile atque populare hominis naturae ingenitum non abhorrens a communitate et societate humana.» De orat. III, 28. 109 πολιτικόν significat eximiam rerum maximarum scientiam atque est «nomen universarum rerum publicarum.» alio quidem loco, Brut. 76, 265 ὁ πολιτικός opponitur τῷ ῥήτορι: «L. Torquatus-, quem tu non cito rhetorem dixisses, etsi non decerat oratio, quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν — — erant in eo plurimae litterae, summa verborum et gravitas et elegantia.»

Dionysius Hal., de comp. verb. 11 πολιτικόν λ. intellegit orationem civilem — ibidem dicit λέξιν πολιτικήν elocutionem in orationibus civilibus usitatam. De comp. verb. 26 πολιτικόν λ. opponit τῷ ἰδιώτῃ atque

[1] cfr. Rhett. Lat. min. ed. H. p. 81 et p. 313 sqq.

illum quidem dicit orationem secundum leges regulasque artis compositam: ὁ πολιτικὸς λόγος, ἐν ᾧ πολὺ τὸ κατεσκευασμένον ἐστὶ καὶ ἔντεχνον. alio loco Dionysius hoc termino sic utitur, ut sit synonymon τῷ ῥητορικῷ (de Lys. iud. 16).

Apud auctorem libelli π. ὕψ. saepius hanc vocem invenimus. Atque p. 2, 10 Ps. Longinus amico suo Terentiano exponit, se commentarium suum de sublimitate praecipue conscripturum esse pro ἀνδράσι πολιτικοῖς, quo quidem loco πολιτικός similem habet notionem atque apud Ciceronem, Brut. 76, 265 atque significat virum in administranda re publica versatum, litteris imbutum atque eloquentiae non imperitum neque vero artis regulis legibusve instructum, quod quidem etiam apparet ex Ps. Longini ipsius verbis p. 2, 14/15, allatis, ubi Terentianum, quem virum πολιτικόν esse significavit, dicit παιδείας ἐπιστήμονα. Sed prorsus aliam habet vim π. ὕψ. p. 17, 13 sqq. — ibi enim scriptor π. ὕψ., cum de μεγαλοφροσύνῃ disserat, in comparatione Iliadis et Odysseae illam quidem dicit δραματικήν et ἐναγώνιον, cum Odysseam διηγηματικήν vocet, atque sub finem huius de Odyssea disputationis haec proferuntur: οὐδ' ἐξωμαλισμένα τὰ ὕψη καὶ ἰζήματα μηδαμοῦ λαμβάνοντα, οὐδὲ τὴν πρόχυσιν ὁμοίαν τῶν ἐπαλλήλων παθῶν, οὐδὲ τὸ ἀγχίστροφον καὶ πολιτικόν. Quo loco τὸ πολιτικόν cum nominibus δραματικῷ et ἐναγωνίῳ arte cohaerere et ad virtutem τῆς μεγαλοφροσύνης pertinere mihi videtur; itaque πολιτικόν eo loco significare videtur vehementiam et sublimitatem. Π. ὕψ. p. 53, 6, ubi Hyperidi μυκτὴρ πολιτικώτατος attribuitur, πολιτικόν habet notionem urbanitatis et elegantiae. Deinde p. 66, 10 πολιτικόν significare videtur ad dicendum aptum versatumque in causis publicis.

Apud posteriores artis scriptores sicut apud Aristidem et Hermogenem altero p. Chr. saeculo florentes

doctrinam λόγου πολιτικοῦ plane excultam atque ad artem redactam invenimus.[1] Uterque autem λ. πολιτικόν voluerunt esse orationem summa arte compositam ex certis normis regulisve constructam, id quod iam Dionysius Hal. λ. πολιτικοῦ proprium esse significavit (de comp. verb. 26).

Atque Aristides quidem τῷ λ. πολιτικῷ opponit λογ. ἀφελῆ: λόγον πολιτικόν, quem etiam ἀγωνιστικόν vocat, qua in re cum Ps. Longino consentire videtur, qui, ut supra exposuimus, πολιτικόν synonymon posuit δραματικῷ et ἐναγωνίῳ, causam civilem oratione publica tractatam dicit; eam summam esse artis oratoriae ait aptamque contentionibus causisque forensibus, quem perfectissimam praecipue Demosthenes nobis repraesentet, cum λογ. ἀφελὴς sit simplicitas orationis, quam optime Xenophon nobis repraesentet. Λογ. πολιτικός fit his orationis ἰδέαις coniunctis: σεμνότης, βαρύτης, περιβολή, ἀξιοπιστία, σφοδρότης, ἔμφασις, δεινότης, ἐπιμέλεια, γλυκύτης, σαφήνεια καὶ καθαρότης, βραχύτης καὶ συντομία, κόλασις (cfr. Sp. rhett. Gr. II, p. 457 sqq.). Itaque λογ. πολιτ. prorsus differe a λ. ἀφελεῖ Aristides statuit neque intellexit ille, etiam in λογ. πολιτ. occasione data omnes ἰδέας, quas λογ. ἀφελ. attribuit, adhiberi posse. Qua in re prorsus ab illo distat Hermogenes qui ἀφέλειαν recte in numero ἰδ. πολ. λογ. ponit. Hic enim λογ. πολιτ. in eo potissimum esse putavit, quod in illo omnes orationis ἰδέαι certa quadam via ac ratione inter se coniunctae adhiberentur. Ita diversas inter se existere species λογ. πολ. neque omnes idem valere Hermogenes statuit, etenim eo plus valere eoque maiorem habere vim λ. πολ., quanto δεινότης in illo abhibeatur (cfr. Sp. rhett. Gr. II, p. 398 sqq.).

[1] velim conferas H. Baumgartii l. c. p. 222 sqq.

Ad finem igitur perducta disputatione de terminis rhetoricis in libello de sublimitate usurpatis hoc potissimum intelleximus Ps. Longinum in permultis a Caecilio Calactino pendere ita tamen, ut ea quae Caecilius hac de re protulerat, ipse ad usum suum ab illo acciperet in recensendo impugnandove illius commentario. Hoc inprimis in quaestione de figuris vidimus, ubi plerumque ignotum scriptorem π. ὕψους Caecilii vestigia pressisse probabile est. Etiam in aliis locutionibus statuere potuimus Caeciliana nobis illum tradidisse, praecipue in disputatione de φαντασία. Sed etiam aliud inde evinci potest; apparet enim Ps. Longinum permultis quidem nominibus rhetoricis illustratis haud ita multa mere sollemniter adhibuisse. Neque ipsos terminos technicos, ut ita dicam, tam praecisa planaque definitione, qualis ipsum artis scriptorem deceret neque accurate saepius breviterque illum descripsisse.

CAPUT ALTERUM.

Jam vero in hac altera disputationis parte accuratius quaerendum nobis erit, quae ratio inter Ps. Longinum et Caecilium intercedat. Hanc quidem quaestionem iam in prima parte huius libelli necessario tetigimus, cum de terminis rhetoricis in libro de sublimitate usurpatis disputavimus, atque vidimus scriptorem π. ὕψους non pauca a Caecilio mutuatum esse. Itaque nunc nostrum erit accuratius inquirere in singulos totius commentarii locos, ex quibus cognoscere possimus, quae ratio inter auctorem ignotum et Caecilium intercedat.

Atque iam initio libelli de sublimitate Caecilii Calactini ita fit mentio, ut facile inde intellegas Ps. Longinum a Calactino rhetore proficisci illiusque libellum fundamentum esse sui ipsius commentarii, praesertim cum etiam expressis verbis efferat, Caecilium primum de ea re scripsisse atque Caecilii quidem nomine saepissime prolato nullum alium proferat scriptorem, quem secutus sit. Simul vero iam hoc loco perspicuum fit Ps. Longinum id potissimum agere, ut antecessoris sui sententias impugnet easque refutet. Nam ipso prooemio commentario suo praemisso satis acerbum facit iudicium de Caecilii opere atque crimini illi tribuit, quod prolixius explicata sublimitatis natura illud quasi non necessarium omiserit, praecepta dare oratoribus ad sublime dicendi genus assequendum.

Atque in capite altero Ps. Longinus primum quidem quaerit, num sit omnino disciplina quaedam τοῦ ὕψους, quia nonnulli negaverint arte hoc comparari posse : ἡμῖν δ' ἐκεῖνο διαπορητέον ἐν ἀρχῇ, εἴ ἐστιν ὕψους τις ἢ πάθους τέχνη, ἐπεί τινες ὅλως οἴονται διηπατῆσθαι τοὺς τὰ τοιαῦτα ἄγοντας εἰς τεχνικὰ παραγγέλματα . γεννᾶται γάρ, φησί, — — — (π. ὕψ. p. 3, 2 sqq.).

Hic vero Martensius, cui etiam Dielsius[1] ad stipulatur, ad verbum φησί supplet ὁ Καικίλιος (cfr. l. c. p. 9 sq.); sed Martensium hic valde erravisse iam viderunt Müllerus (l. c. p. 8 adn.) et Brzoska (l. c. p. 37 adn.). Nam primum quidem ex Ps. Longini ipsius verbis cognosci potest ad φησί Caecili nomen non suppleri posse, nam ex verbis praecedentibus τινες οἴονται et sequentibus ὡς οἴονται apertum est hic non unum sed plures respici verbo φησί. Neque vero opus est cum Manutio pro φησί, quod libri habent, φασί scribere, nam eodem modo ut *ait* et *inquit* etiam φησί plures significare potest, praesertim cum aliquid ex adversario obici fingatur, qua de re velim conferas quae Bentleius affert (ad Hor. Sat. I, 4/79). Deinde quiden, si verum esset quod Martensius opinatur, Caecilius negasset τὸ ὕψος et πάθος arte comparari posse; at constat illum semper arti potissimum summam vim tribuisse ad orationem bene conformandam semperque normas regulasve constituisse, ita ut consentaneum sit eum etiam in libello de sublimitate non aliter egisse. Atque verba, quae sequntur, clare demonstrare videntur, ad quosnam Ps. Longinus hic spectet; facile enim intellegas Asianos rhetores hic impugnari, qui etiam in sequenti capite acerrime vitu-

[1] cfr. Hermes, XIII, p. 5.

perantur. Quae hic exponuntur vere digna sunt Caecilio, qui vehementissimus adversarius Asianorum fuit rhetorum.

Ex Ps. Longini quidem verbis intellegi licet Caecilium initio libelli sui inprimis de sublimis orationis vitiis disseruisse. Nunc cap. III vehementer castigantur Asiani rhetores, quorum nobilissimi citantur, quod quidem optime ad Caecilii sententias quadrare concedet, quicunque non ignorat, quem locum ille occuparit in artis rhetoricae historia.

In sequentibus Theodori cuiusdam mentio fit (π. ὕψ. p. 6, 11); locus est de vitio quodam, quod παρένθυρσον a Theodoro appellabatur. Hunc esse Theodorum Gadarensem Apollodori Pergameni adversarium atque aequalem constat. Ex forma vero ἐκάλει (sc. ὁ Θεόδωρος) apud Ps. Longinum exstante Buchenau (l. c. (ςς ·d et Martensius (l. c. p. 30) concludunt Ps. Longinum Theodori Gadarensis auditorem fuisse. Sed ex hac imperfecti forma minime hoc collegi licet, id tantum inde mihi sequi videtur Ps. Longinum hoc non in Theodori libro quodam legisse sed audisse illud vel a Theodori quodam discipulo vel inter omnes viros doctos illius aetatis dictum illud notum fuisse, neque prorsus veri dissimile esse videtur scriptorem π. ὕψ. hoc iam apud Caecilium legisse. Itaque neque cum Brzoska facere possum, qui (l. c. p. 64) dicit librum π. ὕψ. a Theodori Gadarensis sectatore quodam conscriptum esse. Sed hac de re infra accuratius disputandum erit.

Locum de Timaeo (π. ὕψ. p. 7, 1 sqq.) Ps. Longinus sine dubio e Caecilio sumpsit · nam ipse profitetur Caecilium permultis exemplis e Timaeo petitis vitia illius orationis illustrasse, sese uno alterove exemplo uti velle : itaque veri est simile Ps. Longinum exempla,

quae affert, a Caecilio mutuatum esse. Quo concesso etiam probabile fit Ps. Longinum in praecedentibus, ubi item agitur de vitiis orationis, plus minusve Caecilium esse secutum.

Quae π. ὕψ. p. 10, 2 sqq. exstant verba: φύσει γάρ πως ὑπὸ τ' ἀληθοῦς ὕψους ἐπαίρεταί τε ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ γαῦρόν τι ἀνάστημα λαμβάνουσα πληροῦται χαρᾶς καὶ μεγαλαυχίας, ὡς αὐτὴ γεννήσασα ὅπερ ἤκουσεν non abhorrent quidem a Quintiliani verbis in inst. or. VIII, 2/21 laudatis: «sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt haec, quae cum intellexerint, acumine suo delectantur et gaudent, non quasi audiverint, sed quasi invenerint.» Qui consensus propterea alicuius esse momenti videtur, quod totus sententiarum conexus, et quae antecedunt cum his artissime cohaerentia ad Caecilium nos deducunt. Itaque etiam hic Caecilium fontem esse Ps. Longini statuamus, praesertim cum iam saepius viderimus Quintilianum a Caecilio pendere.

Postquam de sublimis orationis vitiis egit, scriptor π. ὕψ. cap. VII ad ipsam rem accedens primum exponit, quae sit vera sublimitas. initio huius libelli vidimus Caecilium prolixius quidem hoc explanasse, cum scriptor π. ὕψ. minime vocem ὕψος proprie finiat. Cap. III, ubi sublimitatis originem et incrementa et fontes exponit, nonnullas causas Caecilium silentio praetermisisse ait, inter quas praecipue τὰ πάθη. Itaque impugnat Caecilium atque negat unum idemque esse τὸ ὕψος et τὸ παθητικόν. At Ps. Longinus ipse minime quidem τὰ παθητικὰ in commentario suo tractat atque sub finem libelli promissum sane vanum dat sese peculiarem librum de affectibus conscripturum esse. Hinc vero illud quidem clare sequi mihi videtur scriptorem π. ὕψ. in commentario suo de sublimitate ea tantum tractare, quae etiam Caecilius ipse protulit.

Sed iam ad graviora festinemus. Atque in cap. IX Ps. Longinum a Caecilio sua mutuatum esse non difficile erit comprobatu. Nam exemplum e genesi ductum, quod exhibet scriptor π. ὕψ. p. 15, 17 et p. 16, 1 sqq.: ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε καὶ ἐξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων εἶπεν ὁ θεός φησι . τί; γενέσθω φῶς καὶ ἐγένενο · γενέσθω γῆ καὶ ἐγένετο Caecilianum esse iam vidit Roeperus (philol. I, p. 620), quod deinde Buchenau etiam planius demonstravit. Hoc potissimum loco nisi erant viri docti usque ad Roeperum, cum censerent commentarium de sublimitate conscriptum esse a Cassio Longino, quippe quod tertio demum p. Chr. saeculo viri docti litteris Christianis atque Judaicis satis essent imbuti. Sed in propatulo est scriptorem π. ὕψ. hic Caecilium Calactinum, quem Judaeum fuisse non iam quis est, qui neget, secutum esse. nam nullum nisi virum Judaeum hunc locum ex libris sacris proferre potuisse patet. Atque constat quidem re vera notitias istas et usum rerum Judaicarum Caecilii aetate minime aliena fuisse,[1] quod etiam ex eo potissimum apparere videtur, quod hic geneseos locus nulla copiosa explicatione neque interpretatione rhetorica addita ita profertur tamquam aliquod notum minime vero quasi insolitum et a communi virorum doctorum scientia abhorrens. Verba vero, quae exhibet Ps. Longinus, minime congruunt cum ipsis geneseos verbis, atque iam hinc elucet scriptorem π. ὕψ. liberius quidem scriptorum locis uti.[2]

[1] cfr. Freudenthal, Hellennist. Studien h. 1. 2. 1875 Vratisl.

[2] velim conferas hac de re H. Herselium, qua in citandis scriptorum et poetarum locis auctor libelli π. ὕψ. usus sit ratione, 1884 Berol.

Haec Ps. Longini verba e genesi desumpta plane fere congruunt cum Josepho in Antiqq. Jud. praef. 3, p. 5[1]: Ἤδη τοίνυν τοῖς ἐντευξομένοις τοῖς βιβλίοις παρακαλῶν τὴν γνώμην θεῷ προσανέχειν καὶ δοκιμαζειν τὸν ἡμέτερον νομοθέτην, εἰ τήν τε φύσιν αὐτοῦ ἀξίως κατενόησε καὶ τῇ δυναμει πρέπουσας ἀεὶ τὰς πράξεις ἀνέθηκε.[2]

Huic vero e genesi desumpto loco statim adnectam alium locum, π. ὕψ. p. 50, 14 exstantem, ubi iterum veteris testamenti notitiam expressam esse arbitror. Verba enim: φιλῶν γὰρ τὸν ὑψιστον ὡς οὐδ' αὐτὸς αὑτόν mirifice sunt dicta, ita ut crediderim etiam haec e libris sacris fluxisse; plane fere congruunt cum librorum sacrorum verbis, quae quidem exstant in Levitico 19, 18: «Καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.» Cum autem manifestum sit scriptorem π. ὕψ. non ipsum Leviticum legisse, etiam haec e Caecilii libro fluxisse

[1] cfr. Tolli ed. π. ὕψ. p. 63; Jac. Bernays in «gesammelte Abhandlge.» ed. Usener I, p. 354.

[2] Ad verba Ps. Longini ex eodem cap. IX, p. 15, 2 sqq: Ὅμηρος γὰρ μοι δοκεῖ παραδιδοὺς τραύματα θεῶν, στάσεις τιμωρίας δάκρυα δεσμὰ πάθη πάμφυρτα τοὺς μὲν ἐπὶ τῶν Ἑλλήνων ἀνθρώπους ὅσον ἐπὶ τῇ δυνάμει θεοὺς πεποιηκέναι τοὺς θεοὺς δὲ ἀνθρώπους. ἀλλ' ἡμὶν δυσδαιμονοῦσιν ἀπόκειται λιμὴν κακῶν ὁ θανατος, τῶν θεῶν δ' οὐ τὴν φύσιν, ἀλλὰ τὴν ἀτυχίαν ἐποίησεν ἀιώνιον. Bernaysius ibidem p. 354 adn. confert Plinii h. n. II, 27 verba: «*Die in demselben 9. cap. vorkommende, lebensmüde und zugleich die populäre Mythologie bespöttelnde Aeusserung des Longinos über das Elend der nie «den Hafen des Todes» erreichenden Homerischen Unsterblichen findet eine ebenfalls bemerkenswerte Parallele in den entsetzlichen, die ganze Oede jener Zeit wiederspiegelnden Worten des ältern Plinius* hist. nat. II, 27: «imperfectae vero in homine naturae praecipua solacia, ne deum quidem posse omnia, namque nec sibi potest mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitae poenis.» — cfr. etiam Lucani verba, VII, 724:

«Ah miser, extremum cui mortis munus iniquae
Eripitur, non posse mori.»

probabile est, praesertim cum toto hoc capite Caecilius impugnetur atque adhibeatur.

Forsitan vero quis dicat ex eo potisstmum, quod Ps. Longinus hic Caecilii sententiam non probet, apparere hic quidem scriptorem π. ὕψ. non a Caecilio pendere; sed hoc magni momenti esse non potest, quippe quod iam supra viderimus etiam in his, ubi Caecilius impugnetur, Ps. Longinum nihilominus ab illo proficisci.

II. ὕψ. p. 24, 21 sqq. et p. 25, 1 sqq. comparantur inter se Demosthenes atque Cicero; hanc quidem comparationem inter duos illos longe praestantissimos oratores institutam Ps. Longinus sine dubio a Caecilio Calactino mutuatus est. Atque iam Toupius coniecerat ex Caecilio fortasse ductam esse hanc Ps. Longini comparationem, quam sententiam probavit Morawskius (l. c. p. 38). Sed Martensius (l. c. p. 6), cui adstipulatur Müllerus l. c. p. 8 adn.), putavit hanc comparationem minime Caecilio adscribi posse, vero enimvero consulto hac in re Ps. Longinum a Caecilio discessisse, cum Dionysius Hal. paulo aliter iudicaverit de Demosthene — nititur enim loco Dionysii de vi. dic. Demosth. 8), ubi Demosthenis dictio tamquam medium aliquod et ex omnibus mixta describitur. Sed praeterquam quod Caecilius non in singulis quibusvis rebus cum Dionysio congruit. Dionysii verba sane non multum abhorrent ab eis, quae in conferendis Demosthene ac Cicerone Ps. Longinus illi attribuit. Sed iam accuratius videamus quae ratio hic inter scriptorem π. ὕψ. atque Caecilium intercedat.

Atque primum quidem notandum est. *rationem comparandi conferendique* a Pergamenis potissimum profectam esse atque praecipue illorum propriam

esse, itaque non mirabimur, quod Caecilius Pergamenorum discipulus [1] hac potissimum comparandi ratione usus sit. Constat vero illum in compluribus commentariis praecipue hunc morem secutum esse, qua in re cum Dionysio consentit, qui inprimis in Ep. ad. Cn. Pomp. 1 exponit, quantum «ὁ τρόπος ὁ κατὰ σύγκρισιν» valeat in argumentatione. Atque Caecilius quidem inter se comparavit Demosthenem et Aechinem, Platonem et Lysiam atque peculiarem librum «σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος» inscriptum eum conscripsisse nobis tradit Plutarchus, vit. Demosth. 3. qui dicit sese orationes Ciceronis et Demosthenis nolle conferre neque pronuntiare, uter altero suavior aut maiori in at dicendo vi praeditus fuerit: at «ὁ περιττὸς ἐν ἅπασι Καικίλιος ἐνεανιεύσατο σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος ἐξενεγκεῖν». ex Plutarchi verbis elucet Caecilium ipsa genera dicendi utriusque inter se contulisse, qua de re Plutarchus temeritatis illum accusat. Ps. Longinus vero inter se in permultis differre Demosthenem et Ciceronem statuit, π. ὕψ. p. 24, 23 sqq.: ὁ μὲν φὰρ (sc. Δημοσθένης) ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀποτόμῳ, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει, καὶ ὁ μεν ἡμέτερος διὰ τὸ μετὰ βίας ἕκαστα, ἔτι δὲ τάχους ῥώμης δεινότητος οἷον καίειν τε ἅμα καὶ διαρπάζειν, σκηπτῷ τινι παρεικάζοιτ' ἂν ἢ κεραυνῷ, ὁ δὲ Κικέρων ὡς ἀμφιλαφής τις ἐμπρησμὸς οἶμαι πάντη νέμεται καὶ ἀνειλεῖται.

Sed suspicio nostra, haec e Caecilio fluxisse plane confirmatur, si Quintilianum adibimus, atque iam Tollius vidit similem esse Ps. Longini et Quintiliani comparationem inter Ciceronem et Demosthenem. Atque Fabius quidem in inst. or. X, 1/106 sq., post-

[1] Ps. Longinum eidem disciplinae atque Caecilium addicendum non esse infra videbimus.

quam exposuit, in iis quae inventionis essent, utrumque esse similem, ita pergit: «in eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior, ille concludit adstrictius, hic latius» e. q. s. — quae verba sane non distant a Ps. Longini: ὁ μὲν γὰρ ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀποτόμῳ, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει. Itaque veri est simile hunc consensum ad unum eundemque fontem redire, Caecilium dico Calactinum, id quod iam Toupius coniecerat. Probabile quidem est Ps. Longinum ex Caecilii libello π. ὕψους haec desumpsisse non ex libro σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος, quamquam etiam alios Caecilii libros scriptorem π. ὕψ. cognosse, cum per se veri est simile, tum ex verbis p. 50, 12 citatis: Καικίλιος ἐν τοῖς ὑπὲρ Λυσίου συγγράμμασιν apparere videtur; sed etiam illud fieri potuit, ut Ps. Longinus haec quidem iam citata invenisset in Caecilii ipsius libro, talia enim apud Ps. Longinum ipsum saepius fiunt.

Nunc vero locos quosdam accuratius tractabimus, quibus a scriptore π. ὕψ. ars rhetorica comparatur cum sculptura picturave, vel ubi exponit, quae ratio intercedat inter rhetores et artifices.

De hoc vero veterum studio comparandi inter se rhetores atque artifices accuratius disputavit vir doctissimus Julius Brzoska in epimetro libro suo de canone X oratt. addito, p. 81 sqq. De eadem re accurate iam antea egerat Bertrand in libro suo «de pictura et sculptura apud veteres rhetores» inscripto (Paris 1881); hic tamen, ut recte Brzoska vidit, «neque omnia conlegit neque fontes illius detexit.» Atque rectissime, ut mihi videtur, Brzoska ad Pergamenos hoc studium revocavit. Veri simile enim est hoc studium comparandi inter se rhetores et artifices nullo loco melius existere potuisse, nisi quo eloquentia una cum pictura sculpturaque floruit; itaque facile

intellegas Pergami potissimum hoc factum esse. Ibi enim[1] utriusque studii pictorum et statuariorum manifesta exstant vestigia, atque Pergamenorum potissimum vi et auctoritate factum est, ut cum signis tabulisve eloquentia, oratores cum artificibus conferrentur. Apud Romanos vero primum illius studii vestigia invenimus, neque dubium esse potest, unde Romani haec studia acceperint. constat enim Romanorum artem rhetoricam inprimis a Pergamenis pendere.

Cum vero Dionysius Halicarnassensis hac in re longe excellat,[2] etiam Caecilium hic cum illo consensisse veri est simile, quippe qui Apollodoro Pergameno praeceptore usus sit, itaque studiorum Pergamenorum rationem ab Apollodoro accepit. Quae cum ita sint, non falsa quidem via proficisci mihi videor, si statuere ausim omnia, quae ad haec studia conferendi inter se artem rhetoricam et artem pingendi fingendive pertinentia apud Ps. Longinum invenimus, ex Caecilio Calactino fluxisse, praesertim cum in iis quae supra adhuc protulimus, iam saepius cognoverimus scriptorem π. ὕψ. illum secutum esse.

Atque primum quidem π. ὕψ. p. 34, 12 sqq., cum docet Ps. Longinus figuras tum maxime esse probandas, cum id ipsum lateat esse figuras, hoc vero fieri, si sublimitas τὰ τῆς ῥητορικῆς σοφίσματα ἐξαμαυροῖ, simile esse dicit in arte pictoria: ἐπὶ γὰρ τοῦ αὐτοῦ κειμένων ἐπιπέδου παραλλήλων ἐν χρώμασι τῆς σκιᾶς τε καὶ τοῦ φωτός, ὅμως προϋπαντᾷ τε τὸ φῶς ταῖς ὄψεσι καὶ οὐ μόνον ἔξοχον, ἀλλὰ καὶ ἐγγυτέρω παρὰ πολὺ φαίνεται . οὐκοῦν

[1] Vide etiam U. a. Wilamowitzium, Antigonos von Karystos. cfr. philolog. Unters. IV, p. 5 et p. 158 sqq. Berol. 1881.

[2] conferas praecipue de Isocr. iud. 3.

καὶ τῶν λόγων τὰ πάθη καὶ τὰ ὕψη ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐγγυτέρω κείμενα διά τε φυσικήν τινα συγγένειαν καὶ διὰ λαμπρότητα, ἀεὶ τῶν σχημάτων προεμφανίζεται καὶ τὴν τέχνην αὐτῶν ἐπισκιάζει καὶ οἷον ἐν καταλήψει τηρεῖ. His igitur scriptor π. ὕψ. docet, sicut in tabulis lux prior oculis occurrat, ita in oratione adfectus et sublimitatem semper priores figuris elucere. Atque Quintilianus, qui apud Romanos in comparandis rhetoribus et artificibus maxime eminet (cfr. inst. or. XII, 10/1 sqq.), similem quidem atque Ps. Longinus sententiam exprimit, VIII, 5/25 sqq. atque inprimis VIII, 5/29: «ne apparent quidem (sc. scintillae), ubi tota lucet oratio, ut in sole sidera ipsa desinunt cerni.»

II. ὕψ. p. 44, 13 sqq. Ps. Longinus dicit in eo scriptores elaborare, ut, cum id, quod sublimiter dictum sit, mire delectet animos, verbis diligenter electis μέγεθος ἅμα, κάλλος, εὐπίνειαν . . . . affingant, ὥσπερ ἀγάλμασι καλλίστοις.

II. ὕψ. p. 57, 2 sqq., quo melius illustretur vis ac natura sublimitatis in oratione, conferuntur inter se colossus quidam et Polycleti δορυφόρος. Verbis vero: πρὸς μέντοι τὸν γράφοντα, ὡς ὁ κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος οὐ κρείττων ἢ ὁ Πολυκλείτου δορυφόρος ad Caecilium Calactinum Ps. Longinum spectare omnes inter se conveniunt viri docti.[1] Nam in antecedentibus capitibus Ps. Longinus magna cum vehementia inprimis Caecilium impugnaverat, quod Lysiam Platoni praetulisset — atque ibidem scriptor π. ὕψ. Hyperidem cum Demosthene et Jonem cum Sophocle comparaverat atque statuerat sublimia elataque semper mediocris vel perfectissimis praeferenda esse. Cum his quidem sen-

[1] cfr. Fr. Blass, l. c. p. 192 adn. 1, Martens l. c. p. 11 sqq.

tentiis artissime cohaerent, quae de colosso et doryphoro proferuntur. Atque iudicium quidem, quod Ps. Longinus hic Caecilio adscribit, eo colosso, in quo plura reprehendantur, non superari statuam illam Polycliti nobilissimam, doryphorum illum, in quo perfecta fuerint omnia, optime Caecilio convenit, quem in oratione simplicitatem, puritatem, diligentiam prae ceteris magni aestimasse scimus, ita ut persaepe Lysiam Platoni praeferret.

Atque haec est sententia, quam exprimit scriptor π. ὕψ. : dandam esse ei veniam, si qua quis peccaverit in eo, quod sublime sit, in ceteris quidem rebus qui excellat, eum hoc demum praestare, quod cadat in hominum naturam; si quis quid grande elatumve protulerit, vel hac una re vitia eius, si qua sint, posse pensari omnia. Quae quidem optime ad Ps. Longini indolem naturamque quadrare videntur qui dicit: τὸ ὕψος ἔγγυς αἴρει μεγαλοφροσύνης θεοῦ. — Atque verba: ὅτι ἐπὶ μὲν τέχνης θαυμάζεται τὸ ἀκριβέστατον, ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν ἔργων τὸ μέγεθος — φύσει δὲ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος — ζητεῖται ἐπὶ τοῦ λόγου τὸ ὑπεραῖρον τὰ ἀνθρώπινα — clare nobis ostendunt Ps. Longinum prorsus diversa esse existimare τέχνην et φυσικὰ ἔργα, quibus etiam τὸν λόγον inseruit. Itaque autor π. ὑψ. sibi ipsi contradicere mihi videtur, cum initio libelli sui inprimis iis qui negaverant esse τοῦ ὕψους τέχνην id potissimum opprobrio tribueirt. Quae cum ita sint, non recte Martensius statuisse mihi videtur (l. c. p. 12) hoc exemplo ex sculptura petito illum non censere colossum pluris esse faciendum quam doryphorum, verum solum illud negare hoc exemplum recte transferri ad scriptorum comparationem.[1]

---

[1] Quintilianus, cum exponit (V 12, 21) in praeclara oratione etiam praeclarum argumentum inesse oportere, ad hanc senten-

Restat, ut ex Ps. Longini exemplis, ubi eloquentia cum sculptura picturave confertur, afferam π. ὕψ. cap. XLIII. quo loco scriptor π. ὕψ. docet humilia verba magnitudinem dehonestare atque vocabula alieno loco adspersa elocutionis dedecora esse, qua re idem fieri ὥσπερ εἴ τις ἐπ' αὐτῶν ἐκείνων τῶν προκοσμημάτων μεταξὺ τῶν χρυσίων καὶ λιθοκολλήτων κρατήρων καὶ ἀργύρου κοίλου σκηνῶν τε ὁλοχρύσων καὶ ἐκπωμάτων φέρων μέσα ἔθηκε θυλάκια καὶ σακκία. Cum hoc vero loco arte cohaerere mihi videntur, quae π. ὕψ. p. 45, 8 sqq. exstant: ibi enim Caecilius a Ps. Longino vituperatur, quod Theopompum reprehenderit, cum ille cotidianae vitae vocabulum ἀναγκοφαγεῖν adhibuisset. Quare etiam alium locum supra prolatum, quo simile Theopompi vitium vituperatur, ex Caecilio fluxisse probabile fit. Nam etiam Demetrius Theopompo idem vitium tribuit, π. ἑρμην. 75 (cfr. Sp. rhett. Gr. III, p. 279): δεῖ γὰρ οὐ τὰ λεγόμενα σκοπεῖν ἀλλὰ πῶς λέγεται· ἔστι γὰρ καὶ μεγάλα μικρῶς λέγοντα ἀπρεπῆ ποιεῖν τῷ πράγματι. διὸ καὶ δεινούς τινάς φασιν, ὥσπερ καὶ Θεόπομπον, δεινὰ οὐ δεινῶς λέγοντα.

In his igitur locis, quos protulimus, Ps. Longinum semper Caecilium secutum esse veri est simile. π. ὕψ. p. 46, 1 sqq. Ps. Longinus dicit Caecilium a recto aberrasse multum, quippe qui duo tantum aut ad summum tres metaphoras uno loco usurpandas vellet. At ipse censet ipsam metaphorarum copiam velut necessario secum rapere atque inprimis in descriptionibus et locis communibus nihil aeque clare rem significari ac continuis et alias post alias meta-

---

tiam explanandam haec affert: «statuarum artifices picturesque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingendo pingendove efficere cuperent .... doryphorum illum (vel alia corpora decora) vere existimarunt», cfr. praeterea Dionys. H. de Din. iud. 7.

phoris. Quae quidem confirmantur verbis: ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένης ὅρος καὶ τῶν τοιούτων[1] — rectissime enim iam Morus hanc sententiam post verba ἐνταῦθα συνεφέλκεται, v. 5 posuit contra librorum memoriam — Inde vero manifesto apparet, quae Caecilii, quae Ps. Longini praecipue propria fuerint; cum Calactinus quidem rhetor minime complures aut permultas metaphoras uno loco cumulatas voluerit sed simplicem neque copia metaphorarum exornatam amplificatamque praetulerit orationem, scriptor π. ὕψ. praefert sermonem multis metaphoris exornatum floridumque.

Verba qua exstant π. ὕψ. p. 46, 12 sqq.: ὁ μὲν Ἀριστοτέλης καὶ ὁ Θεόφραστος μειλίγματά φασί τινα τῶν θρασειῶν εἶναι ταῦτα μεταφορῶν, τὸ 'ὡςπερεί' φάναι καὶ 'οἱονεί' καί 'εἰ χρὴ τοῦτον εἰπεῖν τὸν τρόπον' καί 'εἰ δεῖ παρακινδυνευτικώτερον λέξαι' cum antecedentibus arte cohaerent; his quidem Ps. Longinus concedit aliquanto opus esse μειλίγματα τῶν θρασειῶν μεταφορῶν adhibere, id quod non plane naturae indolique huius scriptoris respondere videtur. Nunc vero apud Quintilianum, inst. or. VIII, 3/37 similem sententiam expressam invenimus: «si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est: ut ita dicam, si licet dicere, quodam modo, permittite mihi sic uti.» Inde vero concludam in his Ps. Longinum Caecilium secutum esse, quamvis iis quae antecedent atque sequuntur Caecilius ipse impugnetur.

Atque inprimis Platonem scriptor π. ὕψ. affert exemplar, quemadmodum aliae post alias metaphorae

---

[1] Plane vero cum Ps. Longino congruunt Plinii iun. verba, Ep. IX 26, 8: «Sed Demosthenes ipse, illa norma oratoris et regula num se cohibet et comprimit, cum dicit illa notissima: ἄνθρωποι μιαροὶ καὶ κόλακες καὶ ἀλάστορες»? — cfr. π. ὕψ. p. 46,6.

rem clare significent; at concedit ipse usum troporum saepe vitia secum ferre, quare τὸν Πλάτωνα οὐχ ἥκιστα διασύρουσι πολλάκις ὥσπερ ὑπὸ βακχείας τινὸς τῶν λόγων εἰς ἀκράτους καὶ ἀπηνεῖς μεταφορὰς καὶ εἰς ἀλληγορικὸν στόμφον ἐκφερόμενον. — Quibus verbis Ps. Longinum Caecilium praecipue in mente habere colligi licet ex sequentibus verbis. Caecilius enim copiose disputaverat de Platone et Lysia, etiam peculiarem librum illum de hac re composuisse constat: σύγκρισις Λυσίου καὶ Πλάτωνος. — Atque Caecilium Lysiam Platoni praetulisse nos docet Ps. Longinus p. 5o, 3 — talis vero sententia non abhorret ab illo, qui, ut iam supra ostendimus, ante omnia simplicem et purum figuris tropisque non ultra modum exornatum commendat sermonem. Sed sine dubio scriptor π. ὕψ. suo quidem more rem exaggerasse videtur cum dicit p. 5o, 14 sq.: φιλῶν γὰρ τὸν Λυσίαν ὡς οὐδ' αὐτὸς αὑτόν, ὅμως μᾶλλον μισεῖ (sc. Καικίλιος) Πλάτωνα ἢ Λυσίαν φιλεῖ. Constat enim Caecilium non omnia quidem in Lysia laudasse, atque in libro π. τῶν ι' ῥητ. imparem Lysiam dicit rebus disponendis, ut est apud Photium in bibl., cod. 262: Καικίλιος δὲ ἁμαρτάνει εὑρετικὸν μὲν τὸν ἄνδρα ⟨Λυσίαν⟩, εἴπερ ἄλλον τινὰ συνομολογοῦν, οἰκονομῆσαι δὲ τὰ εὑρεθέντα οὐχ οὕτως ἱκανόν.[1] Plane eandem vero Platonis reprehensionem et Lysiae laudem invenimus apud Dionysium Halicarnassensem in Ep. ad. Cn. Pomp. 2, de admir. vi dic. in Dem. 5, 23-29, de Lys. iud. 5, 15, de Isocr. 3.

Sane concedendum est Caecilium aeque ac Dionysium acerbius contra Platonem exstitisse atque studio

---

[1] vide L. Spengel, συναγ. τεχν. p. 123 adn. 6o, Burckhardt, p. 13 sq.; atque H. Sauppe (Gött. gel. Anz. 1863 p. 1665), haec a Photio ex Caecilii quidem libro repetita sed falsa intellecta esse coniecit.

et amore simpliciis et accurati tenuisque Attici sermonis adductos non semper iuste recteque de illo iudicasse; sed Ps. Longinus in contrarium cadit vitium, cum iuvenili quasi ardore inflammatus atque summa admiratione perductus summis semper laudibus effert hunc philosophum.

Iam vero scriptor π. ὕψ., postquam exposuit Caecilii iudicium falsis niti fundamentis, cum id inprimis illi quaerendum fuisset, num ob animi magnitudinem Plato Lysiae praeferendus esset, in sequentibus inde a. p. 50, 21 sqq. has potissimum tractat quaestiones, num sublimitas et animi magnitudo elatumque, quamvis vitiis non vacua, praeferrenda essent mediocritati sine vitiis. Sic Demosthenes cum Hyperide, Sophocles cum Jone atque Homerus Archilochus Pindarus cum Apollonio Theocrito Bacchylide comparantur. Ps. Longinum in hac disputatione tacite Caecilium potissimum impugnare eo quidem fit probabile, quod antea in eadem sententiarum conexu cum his arte cohaerentium Caecilium ille impugnaverat, et quod sub finem huius quaestionis p. 57, 2 sqq., ut iam supra exposuimus, iterum Caecili impugnatur sententia, ubi de simili quaestione res est.

Atque in Hyderidis cum Demosthene comparatione illius oratio Deliaca laudatur, π. ὕψ. p. 53, 13: ὥσπερ ἀμέλει τὰ μὲν περὶ τὴν Λητὼ ποιητικώτερα — Haec vero plane fere congruunt cum Anonymi Segueriani verbis:[1] ποιεῖ δὲ ἡδονὴν ἐνίοτε καὶ ἀρχαιολογία παραληφθεῖσα εὐκαίρως, ὡς παρ' Ὑπερείδῃ ὁ τῆς Λητοῦς μῦθος, quae quidem ex Alexandro Numenio fluxisse conicio, atque forsitan Ps. Longinus hic a Caecilio pendeat. Illa enim Hyperidis oratio Deliaca raro tantum commemoratur.

[1] cfr. Sp. rhett. Gr. I, p. 439,18.

Apud Hermogenem vero π. ἰδ. I, 6 (Sp. rhett. Gr. II, p. 288) eandem sententiam de hac oratione expressam invenimus: τὰ ἐν Δηλιακῷ τοῦ Ὑπερείδου ποιητικῶς μᾶλλον καὶ μυθικῶς εἴρηται; ita etiam in hac re Hermogenes Caeciliana nobis tradere videtur.

Quae π. ὕψ. p. 57, 19 sq. contra locum quendam e Demosthenis oratione de Haloneso sumptum notantur — res autem est de vitiosis hyperbolis . . . στοι καὶ αἱ τοιαῦται εἰμὴ τὸν ἐγκέφαλον ἐν πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε'[1] ex Caecilio fluxisse iam Burckhardtius, cui Martensius adstipulatus est (p. 19), suspicatus est (l. c. p. 34 sq.).[2] Atque Burckhardtius quidem in Libanio potissimum nititur. Hic enim ad orationem π. Ἁλον. p. 75 eadem fere profert atque Ps. Longinus: εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροταφοῖς καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε — — ὑπώπτευσαν δὲ καὶ οἱ πρεσβύτεροι τὸν λόγον ὡς οὐ τοῦ ῥήτορος, ubi Burckhardtius coniecit illos πρεσβυτέρους praecipue Dionysium et Caecilium esse, cum vero Dionysius, de adm. vi dic. in Demosth. 9, hanc orationem a Demosthene non abiudicet, neminem nisi Caecilium eius iudicii auctorem esse potuisse. Verum aliud praeterea afferi potest, quo valde Burckhardtii opinio Libanii verba ex Caecilio fluxisse confirmatur. Nam ex Ps. Plutarchi vitt. X oratt. videmus Caecilium potissimum inquisivisse, quae orationes genuinae quaeque spuriae habendae essent; huc accedit, quod Suida auctore constat, Caecilium peculiarem librum conscripsisse, qui inscribitur: περὶ Δημοσθένους, ποῖοι αὐτοῦ γνήσιοι λόγοι καὶ ποῖοι νόθοι. Ex consensu igitur Libanii

---

[1] cfr. or. de Hal. 45: εἴπερ ὑμεῖς . . . .

[2] praeterea conferas Hersel. l. c. p. 44 sq.

atque Ps. Longtni sequi videtur, etiam Ps. Longinum hic a Caecilio pendere.

Etiam Hermogenes quem nonnulla ex Caecilio ad usum suum transtulisse iam supra suspiciati sumus, eadem fere atque Ps. Longinus de hac oratione praebet; atque Hermogenes quidem ad vitium τραχύτητος illustrandum illud Demosthenis affert locum π. ἰδ. I, 7 (Sp. rhett. Gr. II, p. 297): ὡς τὸ εἴ περ τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροταφοῖς καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε.

π. ὕψ. 59 sqq. Ps. Longinus disputaturus de πέμπτῃ μοίρᾳ τῶν συντελουσῶν εἰς τὸ ὕψος (cfr. π. ὕψ. p. 10 s. f.) id est ἡ διὰ τῶν λόγων αὐτὴ ποιὰ σύνθεσις suo quidem more remittit lectores ad scripta duo de his quaestionibus a se composita — hoc vero loco ea tantum tractaturus est: ὡς οὐ μόνον ἐστὶ πειθοῦς καὶ ἡδονῆς ἡ ἁρμονία φυσικὸν ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ μεγαληγορίας καὶ πάθους θαυμαστόν τι ὄργανον. Quibus cum verbis conferre velim, quae profert Dionysius Hal., de comp. verb. 2: ἡγεῖται γὰρ ἡ τῶν ὀνομάτων ἐκλογή, καὶ προϋφίσταται ταύτης κατὰ φύσιν . ἡδονὴν καὶ πειθὼ καὶ κράτος ἐν λόγοις. Atque similiter de compositione verborum Quintilianus iudicare videtur, cum dicit (inst. or. IX, 4/9): «ideo eruditissimo cuique persuasum est valere eam <compositionem> quam plurimum non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum.» neque, quae sequntur, abhorrent a Ps. Longini verbis p. 59, 18 et 60, 1 sqq. citatis. Quibus perspectis iam probabile fit etiam hic scriptorem π. ὕψ. Caecilium secutum esse.

π. ὕψ. p. 61, 1 sqq. Ps. Longinus inter exempla, quae exhibet ad explanandum, quam multum compositio valeat ad orationem sublimem elatamque efficiendam, etiam profert ψήφισμα quoddam e Demosthenis oratione de corona ductum: τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότε τῇ

πόλει περίσταντα κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. Idem vero exemplum etiam apud Demetrium legimus, π. ἑρμην. 273 (Sp. rhett. Gr. III, p. 320) ubi res est π. δεινότητος: καὶ εἰκασίας λέγοντα, ὡς τὸ Δημοσθένους τοῦτο τὸ ψήφισμα τον τότ' ἐπιόντα τῇ πόλει κίνδουνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. Atque pariter Hermogenes hoc exemplum bis affert, π. ἰδ. I, 9. 12 (Sp. rhett. Gr. II, p. 305. 338) atque primum illud affert, cum de λαμπρότητι agit, deinde cum de ἐπιμελείᾳ et κάλλει disputat. Sed scriptor π. ὕψ. hoc Demosthenicum exemplum luculenta quadam atque copiosa interpretatione atque per ambages explicat.

Statuendumne igitur erit etiam hic Ps. Longinum Caecilii vestigia pressisse? iam saepius quidem cognovimus Hermogenem Caecilium esse secutum, atque etiam Demetrium iam saepius in quibusdam cum illius sententiis iudiciisque consensisse intelleximus.

Quae deinde π. ὕψ. p. 62, 1 sqq. de compositionis virtutibus docentur, minime quidem cum Dionysii Hal. praeceptis de eadem re datis, de comp. verb. 3, congruunt. Scriptor enim π. ὕψ. exponit multos poetas aliosque scriptores non celso ingenio praeditos ac fortasse ad sublimitatem non factos, quamvis plerumque vulgari modo, trita et parum sublimi oratione usi sint, tamen una compositione numerosa opinionem sublimitatis sibi conciliasse suspicionemque humilitatis effugisse. Dionysius vero haec praescribit: ἕτεροι δὲ εὐκαταφρόνητα καὶ ταπεινὰ λαβόντες ὀνόματα, συνθντες δ' αὐτὰ ἡδέως καὶ περιττῶς, πολλὴν τὴν ἀφροδίτην τῷ λόγῳ περιέθηκαν.

Inde quidem apparere mihi videtur Ps. Longinum hic rem non bene perspexisse atque Caecilii bona praecepta corrupuisse, cum illum non intellexisset; minime enim numerosa compositio ὕψος efficere potest, sed harmoniam tantum.

Restat nunc, ut de ultimo libri de sublimitate capite pauca quaedam exponamus.

Hic enim acerbe artis rhetoricae depravatio deploratur. Atque queritur τις τῶν φιλοσόφων de orationis sterilitate deque penuria magnorum virorum atque imprimis clarorum et sublimium oratorum; causam vero ille videt in libertate amissa duraque servitute. Libertate enim docet indolem oratoris praemiis propositis exerceri et una cum rebus gestis explendescere, οἱ δὲ νῦν ἐοίκαμεν παιδομαθεῖς εἶναι δουλείας δικαίας — εὐθὺς γὰρ ἀναζεῖν τὸ ἀπαρρησίαστον καὶ ἔμφρουρον ὑπὸ συνηθείας ἀεὶ κεκονδυλισμένον. Ad haec quidem atque potissimum ad ἀεὶ κεκονδυλισμένον haec Ruhnkenius adnotavit (ed. W. p. 484): «mirum ni hunc Longini locum ob oculos habuerit Herennius in commentario inedito in Aristotelis Metaphysica.»

Sed hanc opinionem ita postea mutavit, ut diceret: «potuit tamen uterque communem aliquem fontem secutus esse sicut Longinus infra, ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ ἀμέτρῳ πλούτῳ — eundem scriptorem imitando expressit, quem Lucianus, Timon. p. 141. Sic statuere magis consentaneum est quam credere Longinum Luciani rivulis hortos suos irrigasse.» Sed iam ipse Ruhnkenius postea secundum Wyttenbachium in bibl. critica parte III, p. 51 illam sententiam emendavit ita: «exquisitum verbum (sc. κεκονδυλισμένον), cuius mira est ad rursum efficacia, ex eodem fonte derivasse videtur Longinus ac Philo Judaeus de Temul. p. 269 B.: cuius locum transcripsit totum Herennius ineditus Aristotelis interpres, quod Ruhnkenius vidit, postquam suos cum Toupio communicavit animadversiones.»

Quam absconditam Ruhnkenii observationem primus in lucem produxit Jacobus Bernays l. c. p. 347 sqq., qui clare demonstravit Herennium sua fere ad ver-

bum omnia desumpsisse ex Philonis libro π. μέθης I (ed. Mangey p. 383, 1. 388, 12). Atque exstant Herennii verba in commentario ad Aristotelis Metaphysica :[1] οὐ θαυμαστόν, εἰ πεφορημένος καὶ μέγας ὄχλος, ἐθῶν καὶ νόμων τῶν ὁπλοσοῦν εἰσηγμένων ἀκλεὴς δοῦλος ἀπ' αὐτῶν ἔτι σπαργάνων ὑπακούειν ὡς ἄν. δεσποτῶν ἢ τυράννων ἐκμαθών, κατακεκονδυλισμένος τὴν ψυχὴν καὶ μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μὴ δυνάμενος πιστεύει τοῖς παραδοθεῖσιν ἅπαξ καὶ τὸν νοῦν ἐάσας ἀγύμναστον ἀδιερευνήτοις καὶ ἀναξετάστοις συνέσεσί τε καὶ ἀρνήσεσι χρῆται.

Atque Bernaysius quidem ita illorum consensum explicat: «*Bei der isolirten litterarischen Stellung Philons ist es äusserst unwahrscheinlich, dass ein klassisch geschulter Stilkünstler wie Longin ihn auch nur gelesen, geschweige zu stilistischen Zwecken benutzt habe; es mag beiden, dem Philon und Longin, ein gemeinschaftliches Vorbild vorgeschwebt haben in einer neuakademischen Invective gegen das ungeprüfte zu haltlosen Behauptungen verleitende* συνήθεια.»

Etiam hic statuemus Caecilium fontem esse Ps. Longini? atque potius credendum est Caeciliana a Philone derivata esse? tum vero Caecilius usque ad Caligulae aetatem vitam suam produxisset, quod minime credi potest. An statuendum est Caecilium et Philonem ex uno eodemque fonte sua hausisse?

Quod autem querellas illas de artis rhetoricae depravatione attinet, licet notare tales disputationes primo p. Chr. saeculo omnium ore decantari atque tales observationes illa aetate usitatissimas esse.[2] Ps.

---

[1] cfr. Mai, classici auctores, IX.

[2] Vide Quintil. VI, 2; Plin. N. H. XIV, 1; Plin. iun. Ep. VIII, 14; Tacit. dial. 18. 36 sq.; Petron. I, 58; Senec. rhet., praef. controv. I, 6; Senec. philos. Ep. 114; Vell. I s. f.

Longinus vero de amissa libertate, de dura servitute, de morum depravatione acerbum facit iudicium. sed cum vix fieri potuerit, ut Augusti vel Tiberii temporibus apte increpari posset diutuma servitus iam pueris innata, etiam hoc commendat, commentarium de sublimitate tribuendum esse alteri demum parti primi p. Chr. saeculi.

Singulis igitur locis perlustratis nunc restat, ut in universum accuratius quidem exponamus, quae ratio inter Ps. Longinum atque Caecilium intercedat, et quae potissimum utriusque propria esse videantur.

Atque vidimus quidem scriptorem ignotum π. ὕψ. permulta ex Caecilii commentario ad usum suum transtulisse, praeterea in aliis locis magna cum probabilitate statuere potuimus illum Caecilium secutum esse. Sane fieri non potest, ut ubique cognoscamus, quae Caecilii sint et quae ipsius scriptoris. Sed ex his quae protulimus, cum probabilitate quadam sequi mihi videtur in universum eum a Caecilii disputatione profectum esse. Sed hoc notandum est, Ps. Longinum, cum Caecilium sequitur, non ad verbum omnia ascripsisse, verum sic egit, ut quae ille congesserat atque attulerat, ad usum suum adhiberet, cum in iudicando minime semper cum Caecilio congrueret. Totus enim hic libellus est in recensendo impugnandoque Caecilii libro, quia Ps. Longinus et Caecilius diversas plane sententias de arte rhetorica sequuntur, diversa dicendi genera probant, neque eidem addicendi sunt rhetorum sectae: suum quisque eumque ab altero diversum locum in artis rhetoricae historia occupat — quae

quidem utriusque diversitas ubique in hoc commentario apparet.

Cum enim Caecilius clare atque praecise summaque diligentia ex artis regulis normisve τοῦ ὕψους naturam rationemque explicasse videatur atque singula quidem copia exemplorum ex optimis scriptoribus poetisque petitorum illustraverit certumque sine dubio ordinem in componendo libello suo secutus sit, Ps. Longinus nullo certo ordine neque clara dispositione servatis diversas explicandae quaestionis partes non satis disiunxit alienaque saepius, quae alium locum poscerent, immiscuit; quae vero ad definitionem τοῦ ὕψους pertinent, ea dispersa sunt, ita ut opiniones auctoris plane cognoscere cupienti, undique colligenda sint. Praeterea notandum est scriptorem π. ὕψ. pro claris accuratisque definitionibus de natura rationeque τ. ὕψους specimen potius nobis praebere ipsius grandis elataeque et inflatae dictionis.

Initio commentarii Ps. Longinus, ut iam vidimus, expressis quidem verbis exponit Caecilium imperfecte modo neque satis accurate disputasse π. ὕψους neque omnia ad illud pertinentia protulisse. Ipse quidem quinque fontes sublimitatis affert, π. ὕψ. p. 10, 22 sqq.; 11, 1 sqq., atque eorum duo primi κατὰ τὸ πλέον αὐδιγενεῖς συστάσεις, αἱ λοιπαὶ (sc. πηγαὶ) δ' ἤδη καὶ διὰ τέχνης — deinde p. 11, 9 sq. haec dicit: τῶν πέντε μορίων ὁ Καικίλιος ἔστιν ἃ παρέλιπεν, ὡς καὶ τὸ πάθος ἀμέλει. Quod vero Caecilius praeter τὸ πάθος omiserit, ex Ps. Longini verbis non satis clare elucet. Atque Caecilius τὰ πάθη propterea non tractasse videtur, quod τὸ παθητικόν et ὑψηλόν unum idemque esse putavit. Ps. Longinus vero dicit hac in re illum valde errasse atque discrimen ponit inter πάθος et ὕψος; sed postea in disputatione sua saepius illa confundit. Τὰ παθητικά autem ne

Ps. Longinus quidem tractasse videtur. Hoc quidem sane mirum est, cum in sequentibus ita se gerit, quasi in disputatione sua nihil omiserit, atque p. 59, 11 sqq. cum ad σύνθεσιν transit, quintam quidem atque ultimam partem τ. ὕψους illam esse dicit, cum in praecedentibus tres tantum tractatae sint; sed sub finem totius disputationis Terentianum remittit ad peculiarem librum, quem de πάθεσι conscripturus sit.

Ps. Longinus tum maxime quidem vehementer contra Caecilium surgit, cum contra illum magnos scriptores, inprimis Platonem defendit. Cum enim Caecilius summos viros, quos imitandos commendat, exemplaria semper posuerit purae elegantisque dictionis planaeque compositionis, minus vero magnas illorum sententias atque veritates respexerit, ita ut vel Lysiam Platoni praeferret, Ps. Longinus illos praecipue exemplaria ponit artis cogitandi, sentiendi observandi atque ad singularum illorum virorum, quos ἰσοθέους vocat, admirationem inflammatus illorum grandes elatasque sententias etiam atque etiam summis effert laudibus. Atque in hoc potissimum, ut mihi videtur, positum est discrimen inter Ps. Longinum et Caecilium, in his quidem vehementer contra Calactinum surgit: itaque in his ipsis in universum Caecilium secutus esse non potest, quamquam etiam hic non pauca ex illo hausit.

Quem vero locum in artis rhetoricae historia obtinet scriptor π. ὕψ.?

Oratio Ps. Longini, ut saepius vidimus in hac disputatione, plane concitata atque commota est, excellit illa copia abundantiaque verborum; sermonem praebet figuratum: omnia fere redundanter sunt dicta ordine nullo servato. Metaphoras continuat et cumulat, ita ut tumidam inflatamque reddat dictionem;

persaepe singulari quodam ardore atque vehementia adductus ardet et furit. Plane igitur cum Bernhardy mihi convenit, qui [1] dicit, sermonem Ps. Longini valde abhorrere a sollemni illi locutione apud ipsos rhetores usitata: «*Kurz, Longin war mehr geistreicher Enthusiast als ein strenger wissenschaftlicher Lehrer.*»

Cui igitur rhetorum generi ac disciplinae scriptorem π. ὕψ. addicamus? Jam supra quidem ostendimus non Theodorum illum fuisse, ut multi voluerunt. Nam etsi vehementer aliquanto Caecilium Apollodoreum impugnat, inde non iam sequitur, Theodoreum illum fuisse, quia Theodeorus adversarius fuerit Apollodori. Theodorus enim atque Theodorei, quamvis Apollodoreos impugnaverint, attamen eidem generi atque sectae rhetorum attribuendi sunt, a quibus valde abhorret ratio atque indoles scriptoris π. ὕψ. eiusque tumidus floridusque et figuratus sermo. Itaque inprimis Platonem eiusque dictionem figuratam atque poeticam summis ubique effert laudibus.

Si vero hanc perdifficilem quaestionem, cui rhetorum generi Ps. Longinus attribuendus esset, ad liquidum perducere vellemus, iam opus esset accuratius dictionem compositionemque atque copiam verborum huius scriptoris nos conferre et cum scriptis Atticistarum inprimis vero Platonis et Asianorum.

---

[1] Griech. Litterat. I. p. 593.

Disputatione igitur ad finem perducta non aliter facere possum. quin hoc loco recorder viri inlustrissimi *Augusti Reifferscheid*, praeceptoris mei carissimi, quem praematura morte nobis ereptum valde doleo, atque profitendum mihi existimo illum, qui hanc quaestionem tractandam mihi movit, semper benevolentia ac liberalitate consiliis suis me adiuvisse in his studiis.